

Dat. Romæ  
3. Januarii  
1786  
Anno XI.

DLXXX.

Confirmatur nova erectio collegii monialium Ursularum in civitate Bracharensi facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Cum Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris nihil unquam fuerit antiquius, quam in rectam juventutis institutionem, ac educationem sollicitis studiis incumbere, unde tot orphanotrophia, tot collegia, ac seminaria ubique locorum auctoritate apostolica fuerunt erecta; Nos quoties occasio oblata est, illorum vestigiis inherere non omisimus. Cum itaque magni momenti sit, puellas a teneris annis ad pietatem, et religionem instituire, ne cum plus æquo ad sæculi voluptates sequendas pronæ vel maxime sint, hominibus in petram fiant offensionis, ea, quæ pro illorum educatione, atque informatione laudabiliter constituta esse noscuntur, quoties id a Nobis petitur, libenter apostolica auctoritate confirmamus, prout in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Exponitur auctoritate apostolica intercedente fuisse erectum monasterium Ursularum in loco nuncupato il Ritiro.

§. 2. Nuper siquidem pro parte venerabilis fratris Gasparis archiepiscopi Bracharensis expositum Nobis fuit, quod cum alias ipsi innotuerit, institutum monialium sub regula sancti Augustini Ursularum nuncupatum in Galliarum regnis existentium, et a felicis recordationis Paulo papa V. prædecessore Nostro apostolica auctoritate approbatum, et confirmatum valde proficuum, et utile esse, quod puellas ad pietatem, religionem, ac bonas artes sedulo informet, collegium monialium hujusmodi in loco vulgo *il Ritiro* nuncupato sanctorum martyrum villæ de Vianna do Minho suæ Bracharensis diocesis erigi, et fundari curavit, hancque erectionem, et foundationem sub certis modo, et forma apostolica Nostra auctoritate confirmari obtinuit, prout in Nostris anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo nono, quinto nonas martii hæc desuper sub plumbo expeditis literis uberius continetur.

Laudatur institutionis præstantia quæ ampliatur per novam erectionem monasterii in loco frequentiori.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ex erectione, ac foundatione prædicta, licet in solitario loco, uberes nihilominus prodire fructus cognoverit, ex tuac foundationem

novi collegii monialium Ursularum hujusmodi in frequentiori loco secum animo cogitavit. Et quidem cum a munificentia carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ domum cum omnibus mobilibus, et adjacentiis alias ad clericos regulares extinctæ, et suppressæ societatis Jesu spectantem, ac in ipsa civitate Bracharensi existentem sibi largiri obtinuerit, in ea collegium monialium Ursularum ad instar illius erecti in dicta villa de Vianna sua ordinaria auctoritate fundavit, illique nedum bona omnia mobilia, et immobilia cujusdam confraternitatis olim in suburbio dictæ civitatis Bracharensis in quodam loco Mons Pænarum nuncupato sub invocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis erectæ, quæ felicis recordationis Benedictus pp. XVI. prædecessor Noster, prævia ejusdem confraternitatis extinctione, et suppressione, ad erigendum puellarum orphanarum conservatorium sub certis modo, et forma per suas anno MDCCXLVI. expeditas literas applicaverat, sed etiam quidquid extat, et debetur ex archiepiscopatus Bracharensis ecclesiarum vacantium redditibus per viginti annos perceptis, quod usque ad triginta mille aureos pertingit, quodque in eadem causam erectionis dicti conservatorii memoratus Benedictus prædecessor per alias anno MDCCXLIX. expeditas literas assignaverat.

§. 4. Cum conservatorium hujusmodi nunquam fuerit erectum, ac in posterum erigi non poterit ob graves sumptus ad id necessarios, pro ejusdem collegii, suarumque monialium sustentatione, illique addictorum mantentione addixit, et univit. Ac insuper attendita facultate in memoratis Nostris literis sub plumbo datis monialibus prædictis concessa de sui ordinarii licentia, et cum debitis tamen cautelis e clausura sui collegii egrediendi ad alias foundationes in regno Portugalliæ incipiendas, et explendas, jam dilectas in Christo filias Ludovicam Mariam de Plagis Jesus Nazareni superiorissam, et Elisabeth Mariam Franciscam Theresiam, et Mariam Josepham, et Mariam Nives, et Theresiam Josepham, et Mariam Theresiam, et Mariam Felicianam, et Augustinam Mariam, et Theresiam Barbaram, et Mariam Elisabeth etiam de plagis Jesus Nazareni respective nuncupatas moniales in dicto collegio villæ de Vianna expresse professas ad novum collegium Bracharen-

A veteri monasterio plures moniales educuntur, et transferuntur in noviter erectum.

se, tamquam aptiores, ac magis idoneas pro instructione ejusdem novi collegii transtulit, in eoque collocavit.

Episcopus flagit approbationem omnium gestarum pro hac nova erectione.

§. 5. Verum, sicut eadem prosequeretur expositio, hæc omnia licet ordinaria auctoritate facta, ut tamen necessarium sortiantur effectum, firmissimè subsistant, ac serventur exactius apostolicæ confirmationis munimine roborari, aliaque concedi memoratus Gaspar archiepiscopus summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnia laudat pontifex, et sua auctoritate confirmat.

§. 6. Nos igitur utilitatem, quæ ex instituto prædicto provenit præ oculis habentes, ac eundem Gasparem archiepiscopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, foundationem, ac erectionem dicti novi collegii monialium Ursularum sub regula sancti Augustini in civitate Bracharensi ad instar alterius collegii earundem monialium villæ de Vianna, et cum perfectæ clausuræ observantia sub jurisdictione, regimine, et gubernio moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis, itaut, quatenus opus sit, expensis ejusdem collegii illud de magistris idoneis ad puellarum instructionem providere possit, et cum assignatione tum dictæ domus una cum suis mobilibus, et adjacentiis alias ad extinctam societatem Jesu spectantibus, tum etiam dictæ summæ ex vacantium ecclesiarum diocesis Bracharensis redditibus ad triginta mille aureos pertingentis conflata, ac omnium, et singulorum bonorum mobilium, et immobilium ad confraternitatem in loco Mons Penarum nuncupato sub invocatione conceptionis Beatæ Mariæ Virginis alias auctoritate apostolica, ut præfertur, suppressam quomodolibet spectantiam, et pertinentiam, salvis tamen omnibus oneribus dictis bonis inhærentibus, non obstantibus memoratis Benedictinis literis, quæ redditus, ac bona prædicta erectioni conservatorii puellarum orphanarum attribuebant, quibus per præsentem sufficienter, ac expresse derogare intendimus, ac tra-

*Bull. Rom. Tom. VII.*

ductionem e collegio villæ de Vianna ad dictum collegium, sic noviter erectum, tum dictæ Ludovicæ Mariæ de Plagis, tum aliarum decem monialium prædictarum, ut præfertur, factam auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque omnibus inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, qui aut in erectione ejusdem collegii, aut in assignatione dictorum bonorum, aut in monialium prædictarum traductione quomodolibet intervenerunt, aut intervenisse dici, aut censeri poterit supplemus, et sanamus.

§. 7. Omnibus, et singulis vero nunc, et pro tempore existentibus dicti collegii Bracharensis monialibus omnia, et singula privilegia, omnesque, et singulas indulgentias tam plenarias, quam partiales alias a memorato Paulo prædecessore collegiis monialium Ursularum regnorum Franciæ, et per Nos dicto collegio villæ de Vianna respective concessa, et concessas, dummodo tamen in usu sint, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et elargimur; eisdemque monialibus debita cum licentia archiepiscopi Bracharensis, et cum canonicis requisitis cautelis e clausura dicti collegii egrediendi, et ad alias similium collegiorum foundationes in regno Portugalliæ dumtaxat incipiendas, et explendas, se transferendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur; immo, ut moniales hujusmodi clausis januis exterioris suæ ecclesiæ in eam ad effectum illam ornandi, et expoliandi ingredi possint indulgemus. Utque erectio, seu fundatio hujusmodi ubertiores in dies proferat fructus, eisdem monialibus, ut non solum puellas intra septa clausuræ commorantes, verum etiam ad illius aulas publicas advenientes gratis instruere libere, ac licite possint, et valeant, damus, et permittimus.

Communicat novo monasterio privilegia, et indulgentias ordini Ursularum concessas, et sinit ut moniales designatæ egrediendo a priori conventu recipiantur in novum.

§. 8. Decernentes has præsentem literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nun-

Clausula sublata, et decretum irritum.

M m m

cios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane decernere, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod singulis novi foundationibus similium collegiorum in prædicto regno Portugalliæ, si eas per nonnullas ex dictis monialibus collegii etiam, sic, ut præfertur, fundati fieri contigerit expletis, singularum illarum confirmatio a Sede apostolica prædicta impetrari debeat, alias foundationes hujusmodi, ut præfertur, faciendæ nullæ sint, et esse censeantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXXI.

Dat. Romæ  
10. januarii  
1786  
anno XI.

Suppressio conservatorii puellarum orphanarum civitatis Pisaurensis, et applicatio honorum favore seminarii ipsius civitatis.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater  
Salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **C**reditæ divinitus humilitati Nostræ dispensationis officium Nos admonet ad hoc esse in apostolicæ dignitatis specula constitutos, ut ad promovendum Dei cultum, ad Ecclesiæ disciplinam fovendam, et ad animarum Christifidelium salutem procurandam omnia studia, vigilasque Nostras adjuvante Dei gratia jugiter impendamus. Itaque cum ad hæc assequenda nil utilius esse agoverimus, quam eorum vita, et exemplum, qui se divinis manciparunt servitiis, ad ea providentiæ Nostræ intuitum libenter convertimus, quoties id a Nobis exigitur, per quæ sedulæ clericorum institutioni opportunis remediis prospiciatur; ubi enim illi a teneris annis, et antequam vitiorum habitus totos homines possideat, seu novellæ plantæ benigniori cura educantur, et ad pietatem, religionem, ac literarum scientiam informentur, cum postea in laboriosa ecclesiastica officia acciti sint, tamquam boni Christi ministri, eautriti verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecuti erunt, Christifideles exhortari in sana doctrina; et eos, qui contradicunt, arguere, utilesque se exhibere poterunt.

§. 2. Cum itaque, ut primum hujus ecclesiæ tuæ Pisaurensis regimen suscepisti, animum, et cogitationem tuam ad episcopale seminarium intendisses, illud maxime premi angustiis deprehendisti, utpote quia nedum congruis, ac necessariis redditibus destitutum in incerto semper statu, ac periculo, ne sensim dilabatur, versetur, quandoquidem anni ejus proventus, ac redditus vix parcissimo alumnorum numero, et tenuissimæ mercedi præceptoribus, ministris, ac inservientibus solvendæ, aliisque communibus sumptibus hujusmodi faciendis satis esse dignoscuntur, sed etiam suæ ædes, adeo materiata, et ruinosæ sunt, ut aliquod opportunum, et firmum remedium omnino exigant.

Exponitur seminarii redditus impares fuisse substituentis oneribus, et curandæ ædium ruinosarum reparationi.

Flagitatur suppressio conservatorii puellarum, re-integratio trium confraternitatum, et applicatio honorum favore seminarii.

§. 3. Nobis hinc nuper exponi fecisti, quod Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die x septembris anni MDCCLXXXII. expeditas literas precibus bo: mem: Rochi Mariæ dum vixit episcopi Pisauensis prædecessoris tui Nobis hisce desuper humiliter porrectis annuendo, prævia suppressione octo confraternitatum laicalium, quæ in hac Nostra civitate Pisauensi erant erectæ, illorum bona, jura, et actiones quomodolibet ad eas spectantia fundationi, et erectioni novi conservatorii pro puellis orphanis, ac puellis e domibus suorum parentum aufugientibus, nec non pro mulieribus, quæ justis de causis a viris suis seorsim vivere erant coactæ, attribuimus, univimus, ac incorporavimus, prout in eisdem literis uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, postmodum conservatorium hujusmodi sic erectum memorati Rochi Mariæ, dum vixit, episcopi Pisauensis votis reipsa haud satisfecerit, quin imo cum tria alia conservatoria in eadem civitate Pisauensi pro puellis orphanis, jam erecta existant, inutile prorsus videatur, ac ad divini cultus augmentum, et ad ecclesiasticæ disciplinæ progressum pertineret, quatenus prævia suppressione, ac extinctione ejusdem, sic noviter erecti conservatorii, bona, jura, et actiones prædicta, firmis tamen remanentibus oneribus, quibus gravata sunt, dicto seminario, tum pro suis ædibus restituendis, augendumque annum suum censum, nec non pro laxando ambitu chori tuæ ecclesiæ cathedralis præ sua angustia nimis incommodi, unirentur, et incorporarentur, et universæ civitatis Pisauensis vobis indulgendo tres ex dictis octo suppressis confraternitatibus in pristinum statum restituerentur, prout uniri, et incorporari, ac respective restitui summopere desideras; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis tibi favorabiliter annuere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Landat pontifex episcopi consilium, ipsi quoque in apostolicum delegatum constituit ad omnia peragenda juxta preces.

§. 4. Nos igitur, cui haud grave est, quæ propter justas, ac rationabiles causas alias a Nobis fuerunt stabilita ex novis id exigentibus momentis ea aut declarare, aut moderari, aut etiam penitus revocare, ac paternis illorum curis, et desideriis, qui in Nostris cooperatores in vineam Sabaoth vocati sunt, quantum cum Domino possumus, adesse, ac tam sanctum, et pium opus a concilio Tridentino tan-

*Bull. Rom. Tom. VII.*

topere commendatum juvare cupientes, hisque votis annuere volentes, teque a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ac memoratas Nostras diei x septembris anni MDCCLXXXII. expeditas literas præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, fraternitati tuæ, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus agendis dexteritate, plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, et mandamus, ut conservatorium prædictum a memorato Rochi Maria, dum vixit, episcopo Pisauensi sit, ut præfertur, erectum auctoritate Nostra apostolica perpetuo extinguas, suppressas, ac aboleas, illudque extinctum, suppressum, ac abolitum esse decernas, et declares, prout illud auctoritate apostolica tenore præsentium extinguimus, supprimimus, et abolemus.

§. 5. Undecim porro puellas inibi degentes ad illud conservatorium delle Zoccolette nuncupatum transferas, et ut illarum alimentis sufficere valeat, nedum annuam taxam, seu pensionem scutorum centum super bonis, ac redditibus domus cathecumenorum a suis administratoribus eidem conservatorio persolvendam imponas, ita ut tamen taxa hujusmodi decrescat pro ratione numeri earundem puellarum, quæ aut in puellas a dicto conservatorio sustentari solitas allegeantur, aut ab eo egredientes in Deo, aut in sæculo nubant. Sed insuper illi bona ad hæreditatem quondam Thomæ Emilii, qui extinctæ linea hæredum institutorum ex suis bonis conservatorium pro pauperibus puellis Pisauensibus erigi voluit, quomodolibet spectantia, et pertinentia in sorte principali una cum multiplico post ejusdem capitalis cessionem ab hæredibus institutis in manibus episcopi Pisauensis, tunc existentis factam, ac extantibus aliis fructibus vix ad valorem scutorum octingentorum ascendunt eadem auctoritate perpetuo unias, applices, et attribuas. Ut insuper ob ingressum in religionem, aut matrimonium earundem undecim puellarum cuilibet illarum unum ex subsidiis dotalibus a con-

Consultur puellis degentibus in conservatorio sup primendo.

M m m 2

fraternitatibus, ut infra distribui solitis assignes, et addicas, ita ut eadem confraternitates per undecim annos hoc jure nominandi privatæ sint, nisi tamen ante ingressum in religionem, aut matrimonium unius, vel alterius ex dictis puellis mortem obiret, tunc quippe, et eo casu confraternitatibus prædictis jure regressus juxta leges tamen, ac testamentorum voluntates ad dictum subsidium dotale nominandi plenam, et amplam facultatem concedas.

Reintegrantur tres confraternitates sub titulo sanctæ Mariæ Annuntiæ, Misericordiæ, et sancti Antonii.

§. 6. Rursus ut votis, ac precibus universæ civitatis Pisaurensis suffragemur, tibi pariter injungimus, ut tres confraternitates sub invocatione, seu titulo, nempe beate Mariæ virginis Annuntiæ, Misericordiæ, et sancti Antonii, cum iis tamen statutis, quæ pro tuo arbitrio, ac conscientia eis præscribenda fore in Domino censueris auctoritate prædicta restitutas, easque ad omnia, et singula privilegia, indulgentias, gratias spirituales, honores, et præeminentias, quibus in retroactis temporibus usæ, gavisæ, et potitæ sunt, ac uti, frui, et gaudere poterunt reintegres. Volūmus præterea, ut confraternitatem sub invocatione beate Mariæ virginis Annuntiæ ad ecclesiam sancti Rochi cum omnibus missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, quibus gravatur, et assignatis annuis scutis centum unde ministrorum stipendiis, ac quotidianis, et ordinariis functionibus satisfacere valeas, transferas; alias vero duas confraternitates ad quas pristinas ecclesias, firma tamen remanente quoad ecclesiam confraternitatis sub titulo della Misericordia cessione nonnullorum cubiculorum alias monialibus sanctæ Mariæ Magdaleneæ facta, quorum annuam tamen pensionem ex rependant, dicta auctoritate reduces, quarum singulis pro ministrorum pariter stipendiis, ac consuetis functionibus annua scuta centum viginti solvenda ut infra constitues.

Applicatio honorum conservatorii favore seminarii.

§. 7. Tandem omnia, et singula bona mobilia, immobilia, sacra, et profana, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, imo ipsam domum, in qua dictum conservatorium fuerat erectum, ac jura quæcumque alias ad dictas confraternitates per Nostras literas prædictas suppressas, et extinctas, nunc ad conservatorium sic, ut præfertur, suppressum, et extinctum quomodolibet spectantia, et pertinentia, salvis tamen oneribus alias vigore dictarum Nostrarum literarum a memorato Rocho Maria episcopo super fru-

ctibus eorundem honorum impositis, solvendi nempe annua scuta centum duobus beneficiatis mansionariis nuncupatis clero hujus cathedralis ecclesiæ Pisaurensis noviter auctis, ac alia scuta tercenta pro stipendio cantorum, ac musicorum ejusdem ecclesiæ, nec non assignationibus dictis tribus confraternitatibus, ut præfertur factis, cæterisque omnibus legatis piis missarum, aliorumque, quibus tum quinque confraternitates alias suppressæ, et extinctæ, tum aliæ tres restituendæ gravabantur, quæque salva, et illæsa in toties memoratis Nostris literis remanere voluimus, salvis hisce omnibus, bona prædicta tuo seminario dicta auctoritate perpetuo unias, incorpores, applices, et assignes, prout auctoritate, et tenore præsentis unimus, incorporamus, applicamus, et assignamus.

§. 8. Cum insuper ædes ejusdem seminarii, ut præfertur, sicut undique ruinosæ, ac ambitus chori tuæ cathedralis ecclesiæ laxandus omnino sit, ad eas vero instaurandas, commodioresque reddendas summa scutorum quatordecim millium, et quingentorum circiter exigatur, et ad ampliandum chorum alia scuta duo millia, et quingenta circiter necessaria sint, quocirca æs alienum in grandi summa contrahere coactus eris, ut tuæ conscientiæ quieti, creditorumque hujusmodi securitati prospiciatur, tibi annuos fructus, redditus, et proventus dictorum bonorum tuo seminario addictorum favore personæ, seu personarum, quæ summam, seu summas in hanc rem erogandam, seu erogandas sub legali interusurio suggerere velint, assignandi, ac hypothecandi plenam, et amplam facultatem, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus, atque ut infra aliquod æquum tempus summa, seu summæ prædictæ creditori, seu creditoribus hujusmodi restituantur; propterea tibi injungimus, ut præter annua conventa legalia interusuria quotannis annuam aliquam quantitatem fructuum, reddituum, ac proventuum eorundem bonorum in æris alieni dissolutionem constituas, ac deponas.

Concessio subventionis pro sarciniis adibus seminarii, et pro ampliatione chori ecclesiæ cathedralis.

§. 9. Præterea, cum sicut accepimus, confraternitas sub titulo, ac invocatione sancti Andreæ hujus civitatis Pisaurensis temporalibus bonis, ac redditibus affluat, ac juxta memorati concilii dispositionem fructus, ac redditus etiam confraternitatum laicorum alicui taxæ pro instructione seminariarum episcopaliū sint subijciendi, ut citius,

Impositio taxæ scutorum quinque millium super bonis confraternitatis s. Andreæ.

quo fieri potest, novæ aedēs dicti seminarii construantur, ac sic commodum; et utilitas tuæ diœcesi proficiantur, tibi mandamus, ut taxam pro summa scutorum quinq̄ue millium pro una vice tantum, et intra tempus arbitrio, et conscientia tua præfigiendū personæ ad id a te deputandæ libere persolvendam super bonis, redditibus, fructibus, ac proventibus ad eandem confraternitatem quomodolibet spectantibus auctoritate prædicta imponas, atque edicas.

Alia impositio  
super bonis  
domus cathedra-  
rum.

§. 10. Tandem cum istius pariter domus cathecumenorum redditus superent quotidianam necessariam illius exhibitionem pro summa scutorum centum viginti, detractis etiam scutis centum conservatorio delle Zoccolette per præsentem Nostras literas assignatis, quo factum est, ut illius administratores jam cumulatam habeant summam scutorum octingentorum septuagintorum, tibi propterea committimus, ut nedum dictam cumulatam summam scutorum octingentorum septuagintorum seminario prædicto in illius constructionem erogandam eadem auctoritate adjudices, ac attribuas, sed insuper, ut dictos administratores ad exsolvenda legalia conventa interusura æris alieni, ut præfertur contracti, seu contrahendi pro annua summa scutorum centum usque ad illius totalem dissolutionem, nisi tamen interim novis, ac extraordinariis sumptibus essent obnoxii, quibus durantibus a taxæ hujusmodi solutione liberos, ac exemptos esse volumus, et declaramus dicta auctoritate cogas, et compellas.

Clausulæ salu-  
tates, et ir-  
ritantes.

§. 11. Decernentes easdem præsentem literas etiam ex eo quod prædictæ confraternitatis, ac domus cathecumenorum officiales, confratres, et administratores, ac dicti conservatorii deputati, et cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad eas vocati, et auditi, neque causæ propter quas præsentem emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis solemnitates, ac quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine ali-

qua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, et quovis alio prætextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justâ, rationabilis, et privilegiata, etiam talis, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, aut impetrato quinquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales iudicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trartorum.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac memoratis Nostris die x septembris anni MDCCLXXXII. expeditis literis, ac quatenus opus sit, de jure quesito non tollendo, ac de exprimendo verò valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostræ, ac cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodali-  
bus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non conservatorii, confraternitatum, ac domus cathecumenorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter,

et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die x januarii MDCCLXXXVI, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXXII.

Dat. Romæ  
24. januarii  
1786  
anno XI.

**Aggregatio seminarii sancti Karoli de Cruce Avenionensis classibus theologiæ, et philosophiæ universitatis studiorum Avenionensium.**

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis illud petitur, quod ad religionem, ac liberium disciplinarum studia promovenda, unde in rei sacræ, et civilis rectam, absolutamque administrationem ingentia bona proveniunt, convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio præcum, et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superior, ac directores seminarii sancti Karoli de Cruce Avenionensis, quod per statuta, ac stabilimenta ejusdem seminarii, quæ adhuc plenissime vigent, præscribitur, ut alumni scholas dumtaxat seminarii frequentare possint, nullique extero, ut classibus philosophiæ, et theologiæ inibi existentium adjungi possit, permittitur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, primicerius, ac collegium doctorum, et professorum universitatis studiorum Avenionensis sub die decima, et vigesima secunda augusti, et decima septima septembris anni MDCCLXXXI. seminarium hujusmodi classibus theologiæ, et philosophiæ ejusdem universitatis aggregaverint, hinc dicti exponentes, quo aggregatio hujusmodi firmiter subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis patrocinio communi summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur exponentium prædictorum votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volen-

tes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censes, supplicationibus hujusmodi inclinati, aggregationem prædictam, ac omnia, et singula in ea contenta auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, universitatis, et seminarii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Derogatio contrariorum.

Dat. Romae  
26. Januarii  
1786  
anno XI.

DLXXXIII.

Privilegia, et gratiæ, quibus alia duo collegia ordinis minorum de observantia gaudent ad collegium missionum de Vinhaes ejusdem ordinis extenduntur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessio-  
nis.

§. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum superioris, et fratrum collegii missionariorum oppidi de Vinhaes ordinis minorum sancti Francisci de observantia exalceatorum nuncupatorum Brigantiensis diocesis congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum exposito, collegium hujusmodi, cujus erectio a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro per apostolicas suas in simili forma Brevis die xx februarii MDGCLIII. expeditas literas adprobata fuit, rebus omnibus, quæ ad illius conservationem, et disciplinam necessariæ sunt jam instructum reperiri, ac propterea, nec non ad magis, magisque excitandum missionariorum hujusmodi studium, valde profuturum, si privilegia, quibus ex apostolica largitate gaudent collegia de Bracannes, et de Varatojo dicti ordinis in Portugallia regno, nec non missionarii Hispaniarum, et Indiarum in favorem primodicti collegii extenderentur; eadem cardinalium congregatio, referente dilecto filio magistro Stephano Borgia ejus secretario, et audito voto dilecti etiam filii Nostri Vincentii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Ranuzzi nuncupati tunc Nostri, et apostolicæ Sedis in regnis Portugallia, et Algarbierum nuntii, censuit esse Nobis supplicandum, ut ad prædictum collegium de Vinhaes, privilegia omnia, gratias, et indulta, a rec. mem. Innocentio XI., Clemente etiam XI., et Benedicto XIV. prædicto Romanis pontificibus prædecessoribus Nostri missionum collegiis concessa, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes actu potiuntur, et gaudent, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et Bracannes præscriptæ, ea qua decet sedulitate servarentur, extendere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur superiorem, et fratres prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus desuper Nobis nuper porrectis inclinati: privilegia omnia gratias, et indulta, quæ memorati Innocentius XI. Clemens XI., et Benedictus XIV. Romani pontifices prædecessores Nostri collegiis missionum concesserunt, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes, actu potiuntur, et gaudent, ad primodictum collegium de Vinhaes, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et de Bracannes præscripta, ea, qua decet, sedulitate serventur, auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta Januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Derogatio contrariorum.



Dat. Romæ  
10. februarii  
1786  
anno XL

DLXXXIV.

Indulgetur rectori, et provisoribus universitatis Coloniensis, ut nominare possint ad canonicatus.

Dilectis filiis nobilibus viris consulibus, et senatui civitatis, et reipublicæ Coloniensis.

Pius PP. VI.

Dilecti filii nobiles viri  
Salutem, et apostolicam benedictionem

Vetera privilegia memorantur concessa a Paulo IV. Clemente VIII. et Paulo V. et super jure nominandi ad canonicatus, et leges impostæ in concessionibus hujusmodi.

§. 1. **A**lias piæ memoriæ Paulo pp. V. prædecessori Nostro pro parte vestra exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens pp. VIII. similiter prædecessor Noster, cum accepisset, quod antea recolendæ memoriæ Paulus pp. IV. etiam prædecessor Noster certis tunc expressis causis adductus rectori, et decanis quatuor facultatum, videlicet theologiæ, juridicæ, medicinæ, et artium, quæ consistunt in tribus gymnasiis, Montano, Laurentiano, et trium Coronarum universitatis studii generalis Coloniensis, consiliique illius facultatis, ex qua persona nominanda esset apostolica auctoritate indulset, ut cum provisoribus ejusdem universitatis personas assumere possent in eadem universitate promotas, ac in publicis scholis legentes, et lecturas, quas ipse rector, et decani, ac provisos præstito juramento, unanimi consilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more solito congregati, idoneas, et catholicas esse, ac ad laudem, et fructum studiosorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis majoris, et aliarum ecclesiarum dictæ civitatis capitalis, ad quæ canonicatum, et præbendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu quævis alia dispositio communiter, vel divisim, aut alias quomodolibet pertineret, dictæ videlicet majoris, ac sancti Gereonis Coloniensis ad presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum ecclesiarum canonicatus, et præbendas, qui inde ad triennium, tunc venturum in singulis martij, julij, et novembris mensibus Sedi apostolicæ per concordata Germaniæ cum ipsa Sede inita, reservatis vacantes, nominare valerent eos, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio, et dispositio ejusmodi spectaret, et deinde dictum triennium se-

mel, atque iterum piæ memoriæ Paulus pp. IV., et Pius pp. V. etiam prædecessores Nostri ad simile triennium propagarunt, et indultum prædictum etiam ad majores post pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, nec non vicarias, et cappellanas perpetuas majoris, collegiatarum, aliarumque ecclesiarum Coloniensium, quæ in prædictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, et successive recolendæ memoriæ Gregorius pp. XIII. similiter prædecessor Noster terminum a prædicto Pio V. prædecessore prorogatum, vel concessum, ad aliud triennium primo, et subinde ad quinquennium, alias juxta formam litterarum indulti Pauli IV. prædecessoris prædicti dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, et deinde idem quinquennium ab eo prorogatum, vel concessum, ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum extenderat, et ampliaverat: si vero lapsum esset, novum quinquennium hujusmodi ad hoc, ut præfertur, novo quinquennio durante, rector, decani, et provisos prædicti ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et præbendas dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat, et successive similis memoriæ Sixtus pp. V. etiam prædecessor Noster per quinquennium ab eodem Gregorio ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi inchoandum extenderat, et ampliaverat; si vero lapsum esset, novum quadriennium hujusmodi ad hoc, ut ipso durante, rector, decani, et provisos ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et præbendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus prædictis juxta formam, et tenorem litterarum Pauli prædecessoris prædicti, tantum personas, ut præfertur, qualificatas nominare, et alias, prout in literis dicti Pauli IV. prædecessoris continetur, facere possent indulserat; ita tamen, ut personæ sic nominatæ intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis, de prædictis canonicatibus, et præbendis in vim nominationis ejusmodi factæ numerandos, novas provisiones de iisdem canonicatibus, et præbendis a dicta Sede pe-

tere, et literas apostolicas sub plumbio in totum expedire; ac jura cameræ apostolicæ, et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi præmissa adimplerent, ipso semestre elapso, iidem canonicatus, et præbendæ vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem apostolicam dumtaxat, aliis quibusvis personis conferri libere possent; volens, ut rector, et alii ejusmodi jus nominandi habentes, sive ecclesiastici, sive laici forent, fidem catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus archiepiscopi, sive officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendæ, et inde secuta omnia nullius essent roboris, vel momenti, ipse etiam Clemens prædecessor certis tunc expensis de causis tempus quadriennii per dictum Sixtum prædecessorem prorogati, seu de novo concessi de consilio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis Germanicæ bis ad aliud quinquennium extenderat, et propagaverat, et quatenus lapsus esset, idem indultum de novo concesserat juxta formam literarum Pauli IV. prædecessoris Nostri, ita tamen, ut prioris indulti ejusmodi prorogatio, seu concessio non extenderetur ad canonicatus, et præbendas ecclesiæ metropolitanæ, ad vicarias vero tamen dictæ metropolitanæ, quam aliarum ecclesiarum omnium dictæ civitatis, etiam ad alios, qui in alia, quam Coloniensi academia, gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat, ac extenderat, et ampliaverat, volens, et inhibens, si aliquis nominatus beneficium, ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo, nisi in manibus Romani pontificis, aut nuncii apostolici in dicta civitate Coloniensi pro tempore existentis ejusmodi beneficium ad favorem alterius, a rectore, et decanis prædictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset; quodque nonnisi servato inter competitores concursu a sacro concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiarum præscripto ad canonicatus, et præbendas prædictas nominare, et conferre dederent, ac nominantes jurare se dignoscere, et ad profitendi munus magis aptum prælaturas, et vicissim eum, quem præferri contigisset, jurare se injunctum profitendi officium diligenter præstiturum.

§. 2. Deinde vero, ex causis prædictis dictus Clemens prædecessor in-

dultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, ac extenderat, seu concesserat; decreveratque ejusmodi canonicatus, et præbendas, nonnisi personis ex aliqua ex dictis universitatibus idoneis, qui jure jurando ad profitendi munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri ad canonicatus, et præbendas prædictas per eos hujusmodi nominationis vigore obtinendos, nonnisi in manibus Romani pontificis pro tempore existentis cum specifica mentione, quod illos vigore nominationis ejusmodi consecuti essent, resignari, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin canonicatus, et præbendæ ejusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus prædecessor supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus indultum vobis a prædicto Clemente prædecessore concessum, et desuper expeditas literas prædictas ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente prædecessore concessi computandum auctoritate apostolica extendit, et prorogavit, et nihilominus sine præjudicio tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis dilectis filiis rectori, et decanis prædictarum tamen quatuor facultatum in dicta universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus ejusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. prædecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis etiam filiis provisores ipsius universitatis, ut personas in eadem universitate promotas, ac legentes, et lecturas, quas ipsi rector, et decani, ac provisores, medio eorum juramento una cum consilio facultatis ejusmodi, in qua personæ ipsæ legent, vel legere deberent, ad hoc more solito convocati idoneas et catholicas esse, ac cum laude, et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent, ita ut si controversia in nominando inter rectorem, et decanos, nec non provisores, et consilium ejusmodi exorta fuisset, ille, quem major pars votis suis præferendam putasset, præfertur dilectis filiis majoris, et sancti Gereonis, ac aliarum ecclesiarum capitulis, ad quæ canonicatum, et præbendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, et quævis alia dispositio injunctim, vel separatim, aut alias quomodolibet cessantibus, reservationibus, et affectionibus apostolicis pertinebat, videlicet,

Clemente VIII  
et Paulo V.  
memoratur.

Quomodo indultum fuerit prorogatum a

ad presbyterales tamen majeris, et sancti Gereonis, ita ut nominandæ personæ, secundum eorum statuta, et privilegia eorum capitulis concessa, ut præmittitur, qualificatæ essent; ad omnes vero, et singulos alios canonicatus, et singulas præbendas reliquarum ecclesiarum ejusmodi, quæ ex tunc, ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem prædecessorem prorogati, seu concessi computandum in singulis martii, julii, et novembris mensibus pro tempore vacassent, et vacare contingeret, nominare libere, et licite valerent dicta auctoritate concessit, et indulgit, ac statuit; et ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, vel quævis alia dispositio canonicatum, et præbendarum ejusmodi pro tempore spectaret, canonicatus, et præbendas, quos personæ ad illos sic nominatæ per se, vel procuratorem suum ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium postquam eis, vel procuratori suo illorum vacatio innotuisset, duxissent, acceptandos, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, iisdem nominatis personis conferre, et de eis etiam providere, seu ad eos illas præsentare, aut eligere, vel in iis instituere, aut alias de illis in earundem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur, quodque iis præmissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus etiam pro tempore abbas sancti Martini Colonæ, et decanus ecclesiæ sancti Pauli Lodiensis, et qui hæreticæ pravitate inquisitor in illis partibus auctoritate apostolica deputatus existeret prior domus ordinis fratrum Prædicatorum, et Colonæ, et eorum quilibet canonicatus, et præbendas, sic vacantes, personis ad illos, ut præmittitur, nominatis pro ea vice tamen eadem auctoritate conferre, et de illis etiam providere libere, ac licite possent, et quod ab iisdem personis, sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factæ, in qua facultate, in quo gymnasio, in qua hora illa docere, seu legere deberent, exprimeretur, et si a præmissis defecissent, post primam, et secundam monitionem eis desuper factas a perceptione fructuum, reddituum, et proventuum præbendarum, quas vigore nominationum, et collationum ejusmodi tunc assecuti fuissent per abbates, et decanos ecclesiæ san-

cti Pauli Lodiensis, et priores prædictos, aut aliquem ex iis ad requisitionem illis per rectorem, et decanos facultatum, ac provisos universitatis ejusmodi faciendam suspenderentur, et si suspensionem ejusmodi per mensem substinuissent indurato animo, iisdem præbendis ipso facto, et cum effectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliæ personæ modo, et forma præmissis providebantur. Verum, si personæ nominatæ prædictæ in aliquam suspicionem hæresis incidissent, in eas per inquisitores hæreticæ pravitate, in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquirentur, et si illæ compertæ fuissent hæresis ejusmodi iuscitæ, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, et subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium a fine dicti quinquennii computandum semel, atque iterum extendit, et prorogavit, seu concessit, et indulgit.

§. 3. Postmodum autem, post quam felicis recordationis Gregorius pp. XV: similiter prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas indultum prædictum vobis, ut præmittitur, prorogatum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi indultum canonicatus, et præbendas metropolitane ecclesiæ Coloniensis minime comprehenderet, neque ad eos se extenderet, ac sine præjudicio dicti tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac alias sub certis modo, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, et subinde rec: mem. Urbanus pp. VIII. pariter prædecessor Noster, attendens, quod indultum hujusmodi per cancellariæ apostolicæ regulas fuerat revocatum, et sicuti eidem Urbano prædecessori tunc exponi feceratis, causæ propter quas idem indultum a Paulo IV. prædicto primo loco concessum, et ab aliis Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris prædictis, ut supra prorogatum, et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicæ religionis in ista civitate Coloniensi, eoque vigeat; vosque cupidius ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda, ac alicienda hujusmodi indulto diutius frui posse, idem Urbanus prædecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas indultum prædictum vobis per

Indultum prorogaverunt etiam novis adjectis conditionibus, ac in quolibet quinquennio summi pontifices pro tempore.

dictum Gregorium prædecessorem ad quinquennium, ut præfertur, de novo concessum, ac desuper confectas literas prædictas, et in eis contenta ad aliud quinquennium apostolica auctoritate sub certis modo, et forma tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, et deinde secundo dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit, et prorogavit. Ac deinceps eidem Urbano prædecessori per vos exposito, seu subjuncto ad quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiraturum, et causæ propter quas indultum ejusmodi tam a prædictis Romanis pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigeant, dictus Urbanus prædecessor indultum prædictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen, ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma fierent; ipsumque indultum, canonicatus, et præbendas ecclesiæ metropolitanæ Coloniensis minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, et forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, et prorogavit. Et postmodum similis rec. Innocentio pp. X. prædecessori etiam Nostro per vos exposito, quod causæ propter quas indultum hujusmodi tamen ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis prædecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigeant, ipse Innocentius prædecessor indultum prædictum vobis per eundem Urbicum prædecessorem ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium pariter concessit; quinquennium hujusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die xx februarii MDCL. computandum extendit, et prorogavit; ac successive similis mem. Alexander pp. VII. etiam prædecessor Noster supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus per ternas suas in simili forma Brevis literas, unas die xxviii augusti MDCLV., et alias die viii januarii MDCLXI., et reliquas die xiv martii MDCLXIV. expeditas indultum vobis concessum, et prorogatum, ut præfertur, sub certis modo,

*Bull. Rom. Tom. VII.*

et forma tunc expressis, primo quidem ad quinquennium, subinde vero ad triennium, et novissime ad quadriennium, et postmodum similis rec. Clemens pp. IX. itidem prædecessor Noster per suas pariter in simili forma Brevis die ix septembris MDCLXVII. expeditas literas idem indultum ad quinquennium, illudque successive similis rec. mem. Clemens pp. X. etiam prædecessor Noster per literas suas similiter in forma Brevis die xviii julii MDCLXX. et die xxvii junii MDCLXXV. emanatas literas bis pariter ad quinquennium, et similis rec. Innocentius pp. XI. itidem prædecessor Noster per ternas suas etiam in forma Brevis die xi decembris MDCLXXVIII. alteras die xxvii januarii MDCLXXXIV. et reliquas die xxvii januarii MDCLXXXIX. expeditas literas ter itidem ad quinquennium; ac similis rec. Innocentius pp. XII. etiam prædecessor Noster per suas itidem in forma Brevis die xxix octobris MDCXCVIII. expeditas literas itidem ad quinquennium; et similis rec. mem. Clemens pp. XI. etiam prædecessor Noster per binas suas pariter in forma Brevis die xix augusti MDCCV., et die xi septembris MDCCXVII. emanatas literas bis quoque ad quinquennium; ac rec. etiam mem. Innocentius pp. XIII. prædecessor similiter noster per suas itidem in forma Brevis die v septembris MDCCXXII. expeditas literas pariter ad quinquennium; ac piæ mem. Benedictus pp. XIII. prædecessor etiam Noster per suas quoque in eadem forma Brevis die xvii junii MDCCXXVII. editas literas indultum hujusmodi ad septennium concessit, et rec. itidem mem. Clemens pp. XII. pariter prædecessor Noster per suas quoque in simili forma Brevis die xxviii septembris MDCCXXXV. editas literas indultum hujusmodi ad quinquennium de novo concessit; ac subinde fel. rec. Benedictus pp. XIV. similiter prædecessor Noster ad septennium, nempe die xxx septembris MDCCXLI. die xxii maii MDCCLL. et die x aprilis MDCCLVIII. per suas apostolicas literas indultum prædictum concessit; ac deinde fel. rec. Clemens pp. XIII. similiter prædecessor Noster per suas literas die x julii MDCCLXV. ad aliud septennium indultum prædictum concessit; ac postmodum piæ rec. Clemens pp. XIV. prædecessor quoque Noster per suas in eadem forma Brevis die xxvi martii MDCCLXXII. expeditas literas dictum indultum ad aliud septennium pariter concessit, et prorogavit; ac tandem

Nos per literas in eadem forma Brevis die vi martii MDCCLXXIX. expeditas ad aliud septennium dictum indultum concessimus, et prorogavimus, prout in dictis Nostris, et singulis memoratorum prædecessorum Nostrorum literis quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberiorius continetur.

Preces porrectæ pro nova concessione in exitu ultimi septennii.

§. 4. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis septennium ultimo loco a Nobis concessum brevi expiraturum sit, causæ vero propter quas idem indultum per prædictos Romanos pontifices, et per Nos pluries concessum, et prorogatum respective fuit, etiam nunc vigeant, vosque propterea indultum huiusmodi ad effectum supradictum per Nos vobis de novo concedi desideretis.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos specialem vobis gratiam facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurristis, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, indultum prædictum vobis, sicut præmittitur, plures concessum, et prorogatum cum omnibus, et singulis contentis in literis prædictis, ita tamen, ut provisores ejusmodi servatis dictarum literarum modo, et forma fiant quacumque prætensa praxi, consuetudine, seu tolerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, ac proinde præsens indultum in omnibus, et per omnia juxta ejus tenorem, et proprietatem, prout verba illius sonant, et non aliter, nec alio modo servari debere decernimus, et cum hoc, quod indultum ejusmodi canonicatus, et præbendas metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine præjudicio venerabilis fratris moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, nec non cum singulis, et omnibus aliis facultatibus, concessionibus, et ordinationibus, clausulis, et decretis appositis in dictis literis, ac servata in omnibus, et per omnia earamdem literarum forma ad aliud septennium a fine ultimo dicti septennii, sicut præfertur, prorogati, seu concessi computandum, auctoritate apostolica tenore præsentium de novo concedimus.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernentes etiam vos septennio prædicto per Nos concessio, durante huiusmodi indulto, ac desuper confectis literis prædictis libere, et licite uti posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Volumus autem, et earamdem tenore præsentium ordinamus, ut ecclesiæ, in quibus personæ nominatæ huiusmodi vigore vacationum, aut collationum prædictarum, eosdem canonicatus, et præbendas obtinuerint, ob earum impedimentum legendo debitum non fraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, et eadem personæ si illis ea hora, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, et ita deserviendo pro residentibus, et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur in omnibus, et per omnia, perinde, ac si personaliter deservirent (diebus Dominicis, et festis principalioribus, videlicet Domini Nostris Jesu Christi, ac gloriosissimæ virginis Mariæ, et beatorum apostolorum, et in quorum honorem dicatæ sunt ecclesiæ prædictæ, aliorumque sanctorum, quorum dies singulis iisdem ecclesiis solemnes, et celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur) quodque huiusmodi canonicatus, et præbendæ personis ad profitendum in aliqua ex dictis universitatibus idoneis repertis, quæ jure jurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate post canonicatus, et præbendæ adeptionem exercendum, se adstringant, dumtaxat conferantur, illorumque singulis assignentur cathedræ, in quibus actu legere possint in ea facultate, quæ eis in actu earum nominationis huiusmodi per rectorem, decanos, et provisores supradictos destinatæ fuerint; ita ut si aliqua ex dictis

Declaratio specialis.

personis per tres menses continuos, absque legitima causa a rectore, et provisoribus prædictis approbanda a legendo cessaverit, pœnas privationis canonicatus, et præbendæ per eam vigore nominationis prædictæ obtentorum alteri personæ idoneæ modo præmisso conferendorum, eo ipso absque ulla declaratione incurrat.

Præceptum de resignandis canonicatibus, et præbendis in solis manibus pontificis.

§. 8. Cæterum eadem personæ prædictos canonicatus, et præbendas, non nisi in manibus. Nostris, et pro tempore existentis Romani pontificis cum specifica mentione, quod illos vigore memoratæ nominationis consecuta fuerint, non nisi ad favorem personarum juxta statuta, et indulta dictæ universitatis Colonæ qualificatarum, et alias bonum testimonium a rectore, et provisoribus suprædictis habentium resignare, aut alias dimittere ullatenus possint, alioquin canonicatus, et præbendæ hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi possit, ipsæque personæ, sic nominatæ intra sex menses a die collationis, et provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de canonicatibus, et præbendis ad quos illos nominari contigerit, sibi faciendam, ut præferatur, novas provisiones super illis a Sede prædicta impetrare, ac literas apostolicas desuper in totum expedire, ac jura cameræ apostolicæ, et aliis propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis provisores eorundem canonicatum, præbendarum fructus interea suos non faciant, sed illi ad metropolitanam ecclesiam Coloniensem, ejusque capitulum pertineant, ac in commodum, et utilitatem ipsius metropolitanæ ecclesiæ applicari debeant; canonicatus vero, et præbendæ hujusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque per alios ab eadem Sede dumtaxat libere impetrari, et impetrantibus suffragentur, et competat via executiva, ejusque robur, et effectus perinde, ac si canonicatus, et præbendæ prædicti per obitum apud Sedem præfatam vacavisset, et de illis sic per obitum vacantibus ab eadem Sede iisdem impetrantibus provisum fuisset.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, et constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque

tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii anno millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXXV.

Dat. Romæ  
24. januarii  
1786  
anno XI.

Aggregatio seminarii sanctæ Mariæ della s. Guardia Avenionensis classibus theologiæ, et philosophiæ universitatis studiorum Avenionensium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quoties a Nobis illud petitur, quod ad religionem, ac liberalium disciplinarum studia promovenda, unde in rei sacræ, et civilis rectam, absolutamque administrationem ingentia bona proveniant, convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum imperitari suffragium.

Proemium.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superior, ac directores seminarii sanctæ Mariæ della santa Guardia Avenionensis, quod alias nempe sub diebus decima tertia, decima octava, et vicesima prima mensis novembris anni MDCCLXXXII. primicerius, collegium doctorum, ac professorum universitatis studiorum Avenionensium seminarium prædictum clas-

Expositio præcum, et ratio concessionis.

sibus theologiæ, et philosophiæ ejusdem universitatis aggregarunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti, ut aggregatio hujusmodi firmiter subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis patrocinio communiti summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur exponentium prædictorum votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censeutes, supplicationibus hujusmodi inclinati, aggregationem prædictam, ac omnia, et singula in ea contenta auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervernerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime

suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, universitatis, et seminarii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Derogatio contrariorum.

# PIUS VI.

## ANNO DUODECIMO



Dat. Romæ  
17 februarii  
1786  
anno XII.

DLXXXVI.

**Exemptio monasterii monialium el Real oppidi civitatis Matriti Toletanæ diœcesis a gubernio fratrum ordinis Prædicatorum.**

Venerabili fratri Hippolyto archiepiscopo Corinthiensi Nostro, et Sedis apostolicæ apud carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater  
Salutem, et apostolicam benedictionem

Proœmium.

§. 1. Vineam Domini Sabaoth, quod est Catholica Ecclesia pro commisso Nobis divinitus apostolicæ servitutis munere custodire, et excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea, quæ ab iis, qui in Nostros cooperatores sunt adsciti ad animarum Christifidelium salutem, ac tranquillitatem procurandam sollicitè geruntur, ut debitum sortiantur effectum pastoralis Nostræ auctoritatis partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Expositio præcum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in monasterio sancti Dominici sanctimonialium ordinis Prædicatorum el Real nuncupato civitatis Toletanæ sui, ut asseritur, regii juris patronatus plures dissensionem, ac partium studia animos sanctimonialium hujusmodi scindant, ut in mense julii mox transacti anni MDCCLXXXV. novæ priorissæ electio in pace, et tranquillitate fieret venerabili fratri Francisco Antonio archiepiscopo Toletano commisit, ut illarum capitulo præesset,

ac etiam causas dissensionum, ac discordiarum hujusmodi exquireret. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, illarum originem in gubernium fratrum ordinis Prædicatorum, quibus sanctimonialia prædictæ in spiritualibus subjectæ reperiuntur conferendam esse deprehensus sit, eaque propter easdem moniales ab omni jurisdictione, et gubernio eorundem fratrum in spiritualibus eximendas, et liberandas esse consuluerit; hinc memoratus Carolus rex catholicus Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur prædictis, aliisque etiam justis de causis animum Nostrum moventibus adducti, ac ejusdem Caroli regis catholici votis annuere, et statui, atque utilitati earundem monialium consulere volentes, fraternitati tuæ de cujus fide, doctrina, vigilantia, et charitate, ac in gerendis negotiis dexteritate plurimum in Domino confidimus per præsentem committimus, et mandamus, ut dictum monasterium sancti Dominici el Real, ejusque moniales a quacumque subjectione, ac regimine, et gubernio dictorum fratrum ordinis Prædicatorum auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, ac exemptum, et liberum esse decernas, atque declares; omnimodæ vero jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Toletani in spiritualibus subiicias. Eaque propter fratribus prædictis harum serie prohibemus, ne in iis, quæ ad monasterium hujusmodi, et monialium prædictarum spirituale gubernium pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu præsumant.

Tenor concessionis:

§. 4. Declarantes tamen, quod licet moniales prædictas quo ad spirituales jurisdictionem a memoratis fratribus segregaverimus, ut præfertur, ac segregatas esse decreverimus, nihilo-

Declaratio specialis super participatione privilegiorum.



minus gratiis, favoribus, indultis, ac privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros fratribus ordinis Prædicatorum prædictis concessis, uti, frui, et gaudere licite, ac libere possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si ordini prædicto, ut prius unitæ, ac incorporatæ essent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has præsentis litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DLXXXVII.

Dat. Romæ  
17 februarii  
1786  
Anno XII.

Confirmatur unio cujusdam advocatiæ mensæ capitulari ecclesiæ Uladislaviensis facta.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Carthaginensi apud carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Poloniæ regem illustrem Nostro, et apostolicæ Sedis nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater  
Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Quoties illud a Nobis petitur, quod justitiæ, et æquitati convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Prosumium.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Joseph episcopus Uladislaviensis, et dilecti filii canonici et capitulum ejusdem ecclesiæ Uladislaviensis, quod capitulum hujusmodi jus utitur mittendi quotannis e gremio capituli ad instar aliarum ecclesiarum cathedralium regni Poloniæ canonicum in iudicem deputatum ad supremum tribunal regni. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, variis emergentibus de causis redditus mensæ capitularis adeo decreverint, ut nisi ægre occurrant canonici, qui deputationem hujusmodi ob gravissimos sumptus ad munus prædictum exercendum, ubi tribunal regni erectum est, necessarios accipiant; cumque insuper quædam advocatiæ in villa Zarzecin in palatinatu Sandomiriæ districtu Opoczneni ad mensam episcopalem pertineat, quæ ab episcopis Uladislaviensibus pro tempore existentibus, quoties vacare contingat, personis sibi benevisis et gratis conceditur, ut moris est in cæteris quoque advocatiis regni Poloniæ; memoratus vero Joseph episcopus ad tuendam jus prædictum capitulo ecclesiæ suæ cathedralis, ac ut precibus ejusdem capituli sibi porrectis obsecundaret, advocatiæ prædictam mensæ capitulari in rem, seu auctoritatem proventuum præfati iudicis ad tribunal regni ex gremio ejusdem capituli pro tempore deputandi salvo apostolico beneplacito univerit, ac incorporaverit; hinc exponentes prædicti, ut unio, et incorporatio hujusmodi plenum suum sortia-

Expositio pro-cura.

tur effectum, ac firmitus subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis patrocinio per Nos communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicæ

§. 3. Nos igitur eisdem exponentibus specialè gratiam, et favorem facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore cœsentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuæ de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac summa in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, et mandamus ut constituto tibi de utilitate unionis, et incorporationis hujusmodi illa sub iisdem tamen legibus, et conditionibus auctoritate Nostra apostolica confirmes, et approbes, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicias, omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet inter venerint, suppleas, et sanes.

Tenor confirmationis apostolicæ

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quâocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quâocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiæ cathedralis prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis

decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per præsentem non intendimus jus prædictum in aliquo approbare. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duo decimo.

DLXXXVIII.

Dat. Romæ  
7. martii  
1786.  
anno XII.

Confirmantur statuta confraternitatis beate Columbæ, della Morte nuncupatæ, civitatis Reatinæ.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis Christifidelium in civitate Nostra Reatina sub denominatione beate Columbæ, seu della Morte canonice erectæ, quod alias venerabilis frater Xaverius episcopus Reatinus pro illius regimine statuta conscripsit tenoris qui sequitur.

Expositio præcæ.

§. 2. Xaverius Marini patritius Pissurensis Dei, et apostolicæ Sedis gratia episcopus Reatinus sanctissimi Domini Nostri Domini pp. Pii VI. prælatus domesticus, nec non eidem apostolicæ Sedi immediate subjectus. Cum in hac Reatina civitate pia laicorum confraternitas cui incumbat onus associandi ad sepulturam corpora defunctorum pauperum præcipue, et miserabilium, ipsisque præstandi ultima charitatis obsequia, uti decet, juxta Catholice Ecclesiæ ritum erecta non habeatur. Cum venerabilis societas jam de anno MDCLXI sub die xxii. julii canonice erecta a bono meo cardinali Vecchiarelli antecessore Nostro sub titulo beate Columbæ Reatinæ sub quibusdam regulis, et capitulis in posterum describendis, nec unquam revera descriptis, et fratres

Tenor statutorum confraternitatis ab episcopo conditorum.

eam componentes pio charitatis affectu erga defunctos ducti ad præfatum pium opus sese paratos obtulerint, onusque associandi ad sepulturam, et tumulandi, sive per se, sive per alios ejusdem societatis expensis defunctos pauperes præsertim in perpetuum assumere postulerint, regulasque in capitula præfata a Nobis petierint, ita ut onus associandi ecclesiasticæ sepulturæ defunctos præsertim pauperes, ut supra inter capitula primum locum obtineat. Nos autem maxime cupientes Divini cultus augmentum, et misericordiæ opera erga defunctos promovere præfate confraternitatis, et tam componentium piis, et laudabilibus precibus annuentes auctoritate Nostra ordinaria, omnique alio meliori quo valemus via, jure, et forma tenore præsentium eidem societati, ejusque confratribus modo eidem adscriptis, et in futurum adscribendis onus adjungimus associandi cum debitis luminaribus, et juxta formam, et capitulorum, quorum tenor est Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum defunctorum fidelium, et præcipue pauperum cadavera hujus civitatis, ejusque districtus spectantis ad parochiales ecclesias hujus civitatis, eaque humani sive per se, sive per alios ab iisdem deputandos juxta formam capitulorum, quorum tenor est videlicet.

## PRIMO

§. 3. La venerabile confraternita della beata Colomba dovrà denominarsi in appresso la confraternita della beata Colomba, e della Morte.

De nomine confraternitatis.

## SECONDO

§. 4. Quelli, che in oggi sono ascritti alla medesima, e che si sono offerti all'associazione dei defonti principalmente poveri, saranno li membri principali, ed avranno dritto nell'amministrazione dei beni, e rendite della confraternita, ed avranno voce attiva, e passiva nella medesima, e porteranno la loro divisa del sacco nero, che dovrà fare ciascuno nel termine di un mese. Tutti gli altri, che sono ascritti, o che vorranno iscriversi senza il peso di associare li defonti goderanno la partecipazione dei beni spirituali, ma non avranno voce, nè luogo alla congregazione, e si chiameranno fratelli raccomandati; però due saranno li cataloghi dei fratelli, altro dei fratelli di sacco, altro dei confratelli raccomandati.

De vocalibus.

## TERZO

§. 5. Alla morte di ciascun fratello, tanto ascritto per la tumulazione dei defonti, che raccomandato, la confraternita avrà diritto di associarlo alla sepoltura, e non essendo povero, parteciperà i soli emolumenti; se poi sarà povero dovrà la confraternita a sue spese associarlo secondo la pratica già introdotta, e a tenore della convenzione infrascritta fatta dalla congregazione dei reverendi parrochi di questa città.

De jure sepulcri.

## QUARTO

§. 6. Se la confraternita della beata Colomba sarà invitata ad associare qualche cadavere di defonto ascritto ad altra confraternita, che abbia diritto di associare il suo confratello non sia escluso, e partecipi i soliti emolumenti.

Idem ut supra

## QUINTO

§. 7. Essendo in oggi li confratelli aggregati trenta, quindici al mese dovranno vestirsi di sacco in ciascuna occasione di qualche defonto,

De iis, qui tenentur defunctos associare.

## SESTO

§. 8. Se il cadavere sarà fuori della città, e sarà lontano più di un miglio dalla città medesima, la confraternita manderà quattro confratelli a prenderlo, e il corpo della confraternita assieme col rispettivo parroco del defonto si unirà alla chiesa di sant'Erasmo fuori di porta Cintia; alla chiesa della Madonna dell'Orto fuori di porta Conca; alla chiesa della Madonna santissima detta della Strada Dritta fuori della porta d'Arce; al muro che circonda la possessione dei signori Sonanzi fuori di porta Aringo; incontro la chiesa di san Biagio fuori di porta sant'Antonio; al ponte Romano fuori porta Romana; e finalmente alla Giordana per l'altra via, che esce fuori di porta Romana.

De defunctis extra urbem.

## SETTIMO

§. 9. Essendo impedito qualche fratello in occasione di qualche tumulazione di cadavere potrà supplire per mezzo di altro confratello ascritto, cui in quel mese non tocchi l'associazione.

De supplendis fratribus impeditis.

## OTTAVO

De electione  
officialium.

§. 10. Ogni anno nel giorno posteriore alla festività della beata Colomba la confraternita eleggerà li suoi ufficiali, che saranno un priore, un camerlengo, un segrestano, due provveditori, ed un segretario.

## NONO

De munere of-  
ficialium.

§. 11. L'obbligo di detti due provveditori come sopra eletti sarà d'invitare li confratelli per andare all'associazione di quel cadavere, che s'avrà d'associare. Il nome, e cognome di detti provveditori, subitoché saranno eletti, sarà peso del segretario della confraternita di mandarlo a ciascuno de'reverendi parrochi di questa città di Rieti, perchè all'occorrenza potranno sapere chi siano per renderli intesi del defonto povero che si ha d'associare in assenza, che possa darsi delli suddetti priore, e camerlengo ufficiali maggiori.

## DECIMO

De suffragiis  
pro defunctis.

§. 12. Per la festa della beata Colomba, ed altri ossequi a questa beata nostra concittadina, si osserverà il solito, e così resteranno fermi gli altri obblighi, e convenzioni osservate fino al presente, come altresì li soliti suffragi per li fratelli, e consorelle ascritte, ossia li confratelli di cappa, ossia raccomandati, alli quali obblighi, e convenzioni, e suffragi non s'intenda derogato in alcuna parte salvo lo stabilito di sopra. Bensì quando si tratterà delle sacre funzioni in onore della beata Colomba la divisa dei confratelli, sarà il sacco bianco con la mozzetta negra, insignita della sacra immagine di detta beata come è stato usato finora.

## UNDECIMO

De privilegiis,  
et oneribus  
confraternita-  
tis.

§. 13. Questa confraternita che finora non ha mai avuto l'obbligo d'intervenire alle pubbliche funzioni di processioni non l'avrà neppure in avvenire. Suo peso sarà l'associazione suddetta con l'antiche obbligazioni, e goderà delle indulgenze concesse dai sommi Pontefici a quei fedeli, e pie adunanze, che associano con cristiana pietà li cadaveri dei defonti alla sepoltura, e noi aggiungiamo quaranta giorni a ciascuno di essi per ogni volta, che accompagneranno qualche defonto nel modo stabilito.

Bull. Rom. Tom. VII.

§. 14. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memorati exponentes præinserta statuta, quo firmitus subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ præsidio communiri; et alias opportune in præmissis a Nobis providere summopere desiderent.

Preces porrectæ pro confirmatione statutorum.

§. 15. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti; aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et penis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, statuta præinserta cum in eis contenta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet interveniri, seu intervenisse dici, censerì, vel prætendi possent supplemus, et sanamus.

Tenor apostolicæ confirmationis.

§. 16. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, stasque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Derogatio contrariorum.

Dat. Romæ  
7. martii  
1786  
anno XII.

DLXXXIX.

Erectio confraternitatis sacri Cordis Jesu in loco Rhelsensi Paderbonensis diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proœmium.

§. 1. **P**astoris æterni, qui pro gregis salute in ara Crucis immolari voluit, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris pia Christifidelium vota, divini cultus incrementum, et ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam admittimus, ut per operum piorum exercitium ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Exponitur comitissam de Schollenbourg cappellam edificasse, et suppellectili ornasse, ut in ea congregatio utriusque sexus erigi posset.

§. 2. Cum itaque dilecta in Christo filia comitissa cognominata de Schollenbourg pro sua eximia in Deum pietate, ac intemerata orthodoxæ fidei custodia cappellam, seu oratorium publicum in honorem Beatæ Mariæ Virginis, ac sub invocatione sancti Martini episcopi in loco Rhelsensi nuncupato intra limites parœciæ Pombensis Paderbonensis diœcesis, quæ inter heterodoxos situm est, ac ab anno usque MDCLXVI. erectum a fundamentis nuper ex lapidibus reedificaverit, sacraque suppellectili munificentissime ditaverit, ac ipsa, sicut Nobis nuper exponi, fecit pro sua erga sacrum cor Jesu devotione, utque alios Christifideles ad Jesu Christi Domini Nostri passionis meditationem, divinique cultus augmentum excitet, in cappella, seu oratorio publico prædicto unam eorundem utriusque sexus Christifidelium confraternitatem, seu congregationem sub denominatione, seu titulo sacri Cordis Jesu per Nos erigi summo opere desideret.

Erectio confraternitatis in eadem cappella.

§. 3. Nos piis ejusdem exponentis desideriis suis hujusmodi benigne annuere, animarumque saluti paterna charitate prospicere cupientes, supplicationibus hæc desuper Nobis humiliter porrectis inclinati, in cappella, seu oratorio publico prædicto, unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem, seu congregationem sub titulo prædicto sine alicujus præjudicio, dommodo ordinarii loci ad id accedat assensus auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, et instituímus.

Jura confraternitatis concessa.

§. 4. Nec non confratribus dictæ confraternitatis, seu congregationis pro

tempore existentibus, ut processionaliter incedere, divina officia in sua cappella, vel oratorio recitare, ac pro negociis ipsius confraternitatis, seu congregationis se congregare, ac quæcumque statuta, capitula, ordinationes, et decreta pro salubri eorum, et dictæ confraternitatis, seu congregationis regimine, et directione necessaria, et opportuna, licita tamen, ac honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per ordinarium loci examinanda, et approbanda, facere, et edere: illaque pro tempore prout eis videbitur, et expediens fuerit, prævia tamen examinatione, et approbatione hujusmodi, mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare; et insuper omnia, et singula legata relicta, res, et bona quomodolibet qualificata, mobilia, et immobilia per quoscumque Christifideles dictæ confraternitati, seu congregationi per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore elargienda, et relinquenda recipere, illaque per eorum officiales, ac deputatos regere, gubernare, et administrare, ac in ipsius confraternitatis seu congregationis, et eorum piorum operum usus convertere, ita tamen, ut de receptis, et administratis per eos ordinario loci hujusmodi juxta decreta concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Indulgentia concessa.

§. 5. Ac insuper, ut prædicti confratres in piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad illa in posterum exercenda, nec non Christifideles ad dictam confraternitatem, seu congregationem ingrediendum per amplius invitentur, eademque confraternitas, seu congregatio majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam confraternitatem seu congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere pœnitentes, et confessi, ac sacra communione refecti cappellam, seu oratorium ipsius confraternitatis, seu congregationis devote visitaverint, plenariam: nec non ejusmodi confraternitati, seu congregationi nunc, et pro tempore adscribendis confratribus, et consoribus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes et confessi, ac sacra communione refecti,

vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si poterint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam: ac iisdem pro tempore existentibus confratribus, et consororibus etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, qui ejusdem confraternitatis, seu congregationis cappellam, vel oratorium feria sexta immediate sequenti post octavam solemnitatis sanctissimi Corporis Christi a primis vespere usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino indulgemus. Nec non dictis confratribus, et consoribus etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis cappellam, seu oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis diebus per eosdem confratres, et consores semel tantum eligendis, et ab eodem ordinario approbandis visitantibus, et ut præfertur, orantibus, quod die prædictorum id egerint septem annos, et totidem quadragenas: quoties vero missis, et aliis divinis officiis in cappella, seu oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, seu recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem confraternitatis, seu congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum, et consororum dictæ confraternitatis, seu congregationis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiæ sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferretur comitati fuerint, ut si impediti campanæ ad id signo dato semel orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum, et consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes præcepta Dei, ac ea, quæ ad salutem necessaria sunt, docuerint, aut

quodcumque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et pœnitentiarum relaxationes etiam animabus Christianifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam in Domino indulgemus.

§. 6. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Vulumus autem, ut si dicta congregatio, seu confraternitas alicui archiconfraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet insituatur, præsentibus, et quævis aliæ literæ apostolicæ illis nullatenus, quoad indulgentias, et remissiones prædictas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Derogatio contrariorum, et præceptum de non aggregando alicui archiconfraternitati.

DXC.

Dat. Romæ  
14. martii  
1786  
anno XII.

Exemptio monasterii sanctimonialium de Conceptione in villa de Ponferrada Astoricensis diœcesis a jurisdictione fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia.

Venerabili fratri Hippolyto archiepiscopo Corinthiensi Nostro, et Sedis apostolicæ apud carissimum in Christofilium Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater  
Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. **P**astoralis officii humilitati Nostræ divinitus commissi sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui sub suavi religionis jugo Deo proprius famulari susceperunt, curam gerentes, ea quæ pro tollendis abusibus, animorum studiis, stabiliendaque

Proœmium.

regulari disciplina, ac christiana charitate accommodata esse dignoscuntur; rerum prius, ac temporum vicibus mature perpensis concedamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Expositio pre-  
cum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum alias major, ac sanior pars sanctimonialium monasterii de Conceptione nuncupati in villa, seu loco de Ponferrada Astoricensis diocesis, sibi referre curaverit, multa scandala, ac incommoda, quæ ex gubernio, ac regimine fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, quorum jurisdictioni subditæ sunt, eidem monasterio proveniebant, semel, ac iterum suscitatis de ac super veritate expositorum tum vicario capitulari ejusdem ecclesiæ Astoricensis Sede vacante legitime deputato, tum etiam duobus canonicis ejusdem ecclesiæ, nec non audito etiam tunc existente nuntio apostolico de opportuna, ac maxime utili dicti monasterii exemptione ab eorumdem fratrum minorum jurisdictione, ac gubernio compertum habuit; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur Karoli regis catholici votis annuere, et statui, atque utilitati earundem monialium consulere volentes, fraternitati tuæ, de cujus fide, doctrina, vigilantia, et charitate, ac in gerendis negociis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, et mandamus, ut dictum monasterium de Conceptione nuncupatum in villa, seu loco de Ponferrada Astoricensis diocesis, ejusque moniales a quacumque subjectione, ac regimine, et gubernio dictorum fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, ac exemptum, et liberum esse decernas, atque declares; omnimodæ vero jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis episcopi Astoricensis in spiritualibus subicias. Eaque propter fratribus prædictis harum serie prohibemus, ne in iis, quæ ad monasterium hujusmodi, et monialium prædictarum spirituale gubernium pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu præsumant. Declarantes tamen, quod licet moniales prædictas quoad spirituales jurisdictionem a memoratis fratribus segregaverimus, ut præfertur, ac segrega-

tas esse decrevimus, nihilominus gratiis, favoribus, indultis, ac privilegiis, tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros fratribus ordinis minorum prædictis concessis, uti, frui, et gaudere licite, ac libere possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si ordini prædicto, ut prius unitæ, ac incorporatæ essent.

§. 4. Decernentes has præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam de latere legatos cardinales, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Derogatio contrarium.

Dat. Romæ  
14. martii  
1786  
anno XII.

DXCI.

Confirmantur constitutiones, seu statuta fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo. Discalceatorum nuncupatorum provinciæ Hispaniæ.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. **I**nter varias, ac multiplices sollicitudines, quas in hisce præsertim difficillimis temporibus pro communi christianæ reipublicæ utilitate humilitati Nostræ divinitus commissæ dies, noctesque suscipimus, illud Nos urget quam maxime, ut regulares, quorum ordines in Ecclesia Dei ad illius decus, et ornamentum fuerunt pie instituti, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant, et componant, ac ubi collapsa est, vetus, et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, unde digne ambulantes ipsi in vocatione, qua vocati sunt, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, et in ædificationem corporis Christi fuisse datas comprobent.

Refertur elaborandis regulis congregationis præpositum fuisse apostolicum commissarium

§. 2. Hoc sane consilio. Nos alias carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici precibus hisce desuper humiliter porrectis audentes ad pacem, et christianam charitatem inter fratres ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo exalceatos nuncupatos congregationis Hispaniæ firmandam, et conservandam, regularemque disciplinam ad suam pristinam candorem, quatenus opus esset, restituendam, ac vigentem conservandam per Nostras in simili forma Brevis die xiii marti MDCCLXXXIV. expeditas literas dilectum filium Nostrum Nicolaum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem Columna de Stiliano nuncupatum, tunc archiepiscopum Sabastensem apud eundem Karolum regem catholicum Nostrum, et Sedis apostolicæ nuncium, nedum in præsidentem capituli generalis eorundem fratrum deputavimus, sed etiam per alias Nostras eadem die, et anno expeditas literas ei commisimus, ut dimisso capitulo generali huiusmodi congregationem particularem ex fratribus dicti ordinis sibi benevisis, qui tamen pietate, prudentia, ac religio-

nis zelo commendabiles essent, constitueret, ut inde per eandem congregationem cognitis causis unde a regulari instituto declinari poterat, quidquid emendatione, renovatione, correctione indigere, ac quæ circa conventuum, suorumque fratrum statum magis accommodata fore in eadem congregatione fuisset statutum, ad Nos referret, ac modum, et rationem, quibus dicta congregatio regularem disciplinam perfectius stabiliri, ac pacem solidius firmari posse censeret, suggereret.

§. 3. Et quidem mandatis Nostris huiusmodi incunctanter parens memoratus Nicolaus cardinalis, vix demisso capitulo generali, electis duobus fratribus cujuscumque provinciæ ordinis, et congregationis prædictorum, ex iis, priore generali, et uno a secretis prædictam apostolicam congregationem Matrivi constituit, quæ post iteratas sessiones, et post continentem octo mensium laborem tandem, quæ circa Dei cultum, mores, studia, regimen, et gubernium eorundem ordinis, et congregationis emendatione, correctione, et moderatione digna visa sunt, emendatis, correctis, ac moderatis, novum corpus constitutionum, seu statutorum composuit. Quamobrem Nicolaus cardinalis prædictus, illico ad Nos transmitti curavit, immo voluit, ut duos dictam congregationem apostolicam componentes, ac ali eadem congregatione designatos dilectos filios nempe Petrum de Maire Dei congregationis secretarium, ac Paulus a Conceptione definitorem generalem, hanc almam urbem Nostram peterent, ut de inductis correctionibus, et emendationibus antiquarum constitutionum rationes referrent, Nobisque constitutionum, seu statutorum, sic, ut præfertur, reformatorem confirmationem enixe postularent.

Apostolicus commissarius refert mandato paruisse, et novas constitutiones ad s. Sedem transmittit pro eorum confirmatione.

§. 4. Priusquam tamen in re tanti ponderis aliquid circa novas constitutiones huiusmodi definiremus dilecti filii Nostri Gregorii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Salviati nuncupati opera, ac studio uti, illiusque consilium audire voluimus. Is itaque cum sibi mandato muneri pro sua sedulitate, ac diligentia impigre satisfecerit, totumque corpus constitutionum huiusmodi studiose, accurateque perlegerit, pauca quædam a Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris pro rerum ecclesiasticarum opportunitate statuta adnotare, aliaque quorundam verborum immutatione ad sacros ca-

Illas emendavit de mandato. Papæ alius eminentissimus cardinalis Salviati.



nones, et ad hodiernam ecclesiasticam disciplinam diligentius exigere, et accuratius declarare per opportunum duxit; quæ omnia cum sigillatim Nostro examini subjecerit, eaque a Nobis approbata fuerint, constitutiones prædictas ad ejusdem Gregorii cardinalis placitum emendari decrevimus. Novæ vero constitutiones hujusmodi sunt tenoris, qui sequitur.

Tenor constitutionum.

§. 5. Constitutiones fratrum Discalceatorum ordinis beatæ virginis Mariæ de monte Carmelo primitivæ observantiæ a delegatis apostolicis Matrili concinnatæ, et ad sanctissimum Dominum Nostrum Pium sextum pro earum examine, et approbatione remissæ.

Appendix etiam ordinationum, quæ circa potum Indicum (vulgò chocolata) a capitulis generalibus ejusdem ordinis emanarunt ab anno 1640 usque ad præsens, ubi quid in eadem re congregatio hæc arbitrata fuerit invenietur.

In nomine sanctissimæ Trinitatis. Amen

Incipiunt constitutiones fratrum Discalceatorum ordinis beatæ virginis Mariæ de monte Carmelo, prout a decem, et octo religiosis ex omnibus provinciis jussu sanctissimi Domini Nostri Pii, divina providentiâ papæ VI. congregatis dispositæ, emendatæ, ac innovatæ fuerunt, diversis sessionibus ab undecima decembris MDCCLXXXIV. usque ad primam diem augusti MDCCLXXXV. Matrili celebratis, cum prius per universum ordinem preces, ac sacrificia, ut a patre luminum pro felici exitu auxilia descenderent, fuerint indicta, et frequentata, auditisque animadversionibus provinciarum tum circa abusus, et relaxationes, cum circa opportuna remedia ad observantiam tuendam, pacemque conservandam.

## PRIMA PARS CONSTITUTIONUM

*De iis, quæ ad communes omnium mores spectant.*

### CAPUT PRIMUM

*De scopo, sive principali fine nostræ religionis, ac de mediis, quibus ad illum pervenitur, et de obligatione, quam regula, et constitutiones nostræ inducunt.*

§. 6. 1. Cum in Ecclesiæ corpore juxta apostoli sententiam varia sint membra, quæ secundum gratiam, quæ data est eis, donationes habent differentes, operæ pretium præsertim erit initio harum constitutionum, vocationis gratiam, quam accepimus, sive instituti nostri rationem aperire. Primus igitur, et præcipuus propositi nostri finis est charitas, ad quam velut ad præceptorum finem, alia omnia in religionibus, maxime trium votorum solemnium observatio merito ordinantur. Proprius vero, et peculiaris instituti nostri scopus, ad quem actiones nostræ sunt dirigendæ, est jugis oratio, et diviuorum assidua meditatio: hoc est, ut mens nostra, quantum humanæ fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus perseveranter inhæreat.

De scopo, et fine instituti.

§. 7. 2. Ad hujusmodi finem assequendum duo nobis potissimum inter alia, tum a regula, tum a patribus nostris media præscripta fuerunt. Unum cellæ solitudo, et clausura: nam divinæ veritatis contemplatio non potest alibi commodius acquiri, quam silentio, ac solitudine, seu perenni cellæ secessu.

De mediis pro assequendo fine instituti.

§. 8. 3. Quia vero inter corporis castigationem, ac mortificationem, studiumque orationis reciproca quædam, ac inseparabilis invenitur conjunctio, alterum medium a regula nostra pro sectanda orationis puritate decernitur, nempe: mortificatio, et asperitas vitæ, quæ læves animæ pennas produciunt, ut in sublime elata divina valeat contemplari. Quamobrem jejunia, corporis nuditas, carniæ abstinencia, reliqua vitæ incommoda, et sensuum mortificatio a regula, et constitutionibus imponuntur. Quare tribus præsertim velut columnis contemplatione scilicet, clausura, ac mortificatione, et vitæ austeritate tota hæc professionis nostræ structura fulcitur.

De alio medio ad eundem finem.

De iis, qua facienda, vel prætermittenda sunt juxta instituti naturam, et finem.

§. 9. 4. Præterea, cum sacer ordo noster ad excolendam vineam Domini ab Ecclesia sancta vocatus, ac sanctorum patrum Eliæ, et Elisei, aliorumque vestigiis inhærendo non solum cœlesti contemplatione insistat, sed et profectibus jugiter vacet animarum, tam contemplationem, quam actionem (licet non ex æque) complectitur: nam illam, ut finem potissimum, hanc vero quasi illi adnexam respicit. Inter quæ hoc unum interesse decernimus: nam contemplationem, et media, quæ ad illam nos ducunt, summo conatu semper intendere, et prosequi debemus; quidquid vero nos inde divertit, quamvis alias magnum videatur, qualis est animarum zelus, nisi a superiorum obedientia susceptus, nostrarumque legum dispositione servata prætermittendum est. Quare cum impossibile sit unum, eundemque statum æque omnibus fulgere virtutibus, qui voluerit esse perfectus, eas, quæ suæ vocationis, et instituti propriæ sunt, diligenter amplectatur: nedum omnes insequitur nullam integre non sequatur.

De constitutionibus in diversis generalibus capitulis probatis servandis in casibus a novis statutis minime prævisis.

§. 10. 5. Et licet regula nostra apte tradiderit media ad hos fines consequendos opportuna, quia tamen, ut decet, brevis, et compendiaris est, et in ea expresse non traditur, quod ad eventus varios ætatis singulæ, moresque deposcunt, nonnullas constitutiones multis experimentis probatas, regulæ consentaneas in diversis generalibus capitulis religio nostra sancivit.

De vi regulæ, et constitutionum.

§. 11. 6. Congruum autem, et rationi consentaneum judicavimus, antequam ulterius procedatur, aperire, quam obligandi vim habeant tam regula nostra, quam ipsæ constitutiones. Et primum de primitiva nostra regula declaramus, eam nullatenus sui professores ad læthalem culpam, sed ad venialem tantum obligare. Sic enim communi religionis consensu, et consuetudine semper introductum est, et totius nostri capituli generalis voto, tam pro religiosis, quam pro monialibus firmiter.

De obligatione constitutionum quoad poenam.

§. 12. 7. Omnes vero nostri ordinis constitutiones, statuta, sanctiones, tantum obligant ad poenam in eis taxatam, vel a prælatis imponendam, nisi cum in eisdem continetur præceptum, aut censura, aut alias id, quod constitutionibus ipsis præcipitur, seu prohibetur, ex se, aut ratione contemptus, vel alterius circumstantiæ fuerit culpabile. Sed licet hoc ita sit, religiosi sanctæ obedientiæ studiosi, qui ad per-

fectionem tendere tenentur, et Dei voluntatem pro suarum actionum regula habent, cum hæc in ordinis statutis manifeste resplendeat, clareque illucescat, ea pro viribus, et omni diligentia exequi debent.

De revelatione beatæ matris Theresiæ.

§. 13. 8. Referre etiam hic initio constitutionum non parum interesse existimamus revelationem illam beatæ matri nostræ Theresiæ hujus reformationis fundatrici a Domino factam, quam ipsa narrat his verbis: *En este gran recogimiento, entendi de nuestro Señor, lo que ahora dire: Que digesse a estos padres descalzos de su parte, que procurassen guardar quatro cosas, y mientras las guardassen, siempre iria en mas crecimiento esta religion, y quando ellas faltassen, entediesen, que iban menoscabando de su principio.*

La primera, que las cabezas estuviessen conformes.

La segunda, que aungue tuviesen muchas casas, en cada una huviesse pocos frayles.

La tercera, que tratassen poco con seclares, y esto para bien de sus almas.

La quarta, que enseñassen mas con ombras, que con palabras. Esto fue año 1599. y porgue es gran verdad lo firme de mi nombre. Teresa de Jesus. Quas quidem piissimas et peritiles instructiones, ut a cœlo elapsas, et a tali matre nobis luculentissimæ hæreditatis loco relictas, omnes fratres nostri intimis suis visceribus fixas habere studeant, et eas opere adimplere totis conentur viribus.

De partibus constitutionum.

§. 14. 9. Ut autem clarius in nostris constitutionibus procedamus; illas in quatuor distinguimus partes. In prima agitur de his rebus, quæ ad mores omnium pertinent. In secunda de fundatione, et diversitate cœnobiolorum, et de peculiaribus eorum institutis. In tertia de regimine universalis, et de superiorum muneribus. Et in quarta de pœnis transgressoribus infligendis.

De admissione decretorum s. concilii Tridentini, aliorumque a s. Sede publicatorum ad regulares quodammodo pertinentium.

§. 15. 10. Aut quia in his constitutionibus brevitati, ut oportet, consulitur, ut prolixitas vitetur, ob idque in eis indubitanter requisita sæpe non tam exprimentur, quam supponantur; declaramus, et tamquam legem fundamentalem inviolabiliter observandam volumus omnia decreta sacrosancti concilii Tridentini, nec non et alia quælibet a sancta Sæde hucusque emanata, aut in posterum emananda, et ad regulares quoquomodo spectantia, tam-

quam si ad litteram in eis inserta essent, obediri, et custodiri ab omnibus debere, non obstantibus contrariis quibuscumque, si forte aliqua hujusmodi in his irrepsisse inveniatur; ea enim ex nunc, et in perpetuum nullas roboris fuisse, et fore decernimus, et revocamus ex animo.

## CAPUT SECUNDUM

### *De officio divino a fratribus persolvendo.*

De officio divino a fratribus persolvendo.

§. 16. 1. Cum in divino cultu et in his, quæ ad Dei venerationem spectant maxima sit nobis adhibenda cura, ordinamus, ut audito primo signo horis quibuscumque diurnis, aut nocturnis fratres angelorum ministeria, divinas scilicet laudes se præparent, et ante terminationem ultimæ pulsationis, omnes in chorum celeriter conveniant, ubi divinum officium maxima cum veneratione, devote pariter, et attente quantum Deus unicuique dederit, secundum Ecclesiæ Romanæ usum horis congruentibus persolvant.

De matutino.

§. 17. 2. Matutinum inviolabiliter media nocte recitetur, nisi aliqua urgens, gravisque necessitas aliter fieri postulaverit, quod quam rarissime fiat, præterquam in octava corporis Christi, in triduo majoris hebdomadæ, in aurora Dominicæ resurrectionis, in tribus diebus sequentibus Natalem Domini, in sequentibus Epiphaniam, et Circumcisionem, in secundis, et tertiis feriis post Resurrectionem, et Pentecostem ex antiqua ordinis consuetudine, et insuper propter solemnitatem, et concursum populi, ac frequentiam confessionum in illis festivitatibus, in quibus matutinum cum laudibus tempore in n. 4. hujus capituli designando canendum esse decernimus.

De poena contra non venientes ad matutinum.

§. 18. 3. Qui competenti festinatione ad matutinum, et alias horas, sive alios communitatis actus, pulsatione facta, non venerit, poena lævis culpæ pro prima vice puniatur: si in consuetudinem duxerit, gravis culpæ eis applicetur; si quis vero matutino non intersit, sequenti die super terram comedat absque piscibus, sive eo quod eorum loco communitati confertur.

De matutino, et laudibus cum cantu celebrandis.

§. 19. 4. Statuimus, ut matutinum simul cum laudibus cum cantu celebretur, tempore orationis vespertinæ, eaque tunc ommissa, in festo Corporis Christi, in triduo majoris hebdo-

madæ, in prima die Pentecostes, in Circumcisione, in Epiphania, in festivitatibus S. P. N. Joseph, Ascensionis Domini, sanctissimæ matris nostræ Mariæ de monte Carmelo, Assumptionis, et Conceptionis beatissimæ Virginis, sancti Bartholomæi, et sanctorum parentum nostrorum Eliæ, Theresiæ, et Joannis a Cruce. In nocte Nativitatis Domini hora decima cum dimidia incipiet matutinum cum cantu usque ad duodecimam in qua canetur missa, juxta communem Ecclesiæ consuetudinem; qua finita, statim laudes, etiam cum cantu persolventur. In aurora Resurrectionis cantetur hora consueta. In aliis vero festivitatibus primæ, et secundæ classis matutinum habeatur media nocte, et canatur tantum invitatorium cum hymno sequenti, et *Te Deum laudamus*; in laudibus vero a capitulo usque ad finem officii, et idem fiat infra octavam Corporis Christi, tam in conventibus, quam in collegiis hora consueta. In aliis autem duplicibus, et semiduplicibus tantum canitur hymnus: *Te Deum*: tam in conventibus observantiæ, quam in eremis.

De aliis horis canonicis.

§. 20. 5. Diebus præterea dominicis, et festis totius Ecclesiæ, nec non primæ classis Ecclesiæ vel religionis, hora quæ missam conventualem antecedit cum cantu persolvatur. Idemque fiat de prima in vigilia Nativitatis, et nona in die Ascensionis Domini. Præterea vespere canantur in diebus dominicis, et festis Ecclesiæ. In festivitatibus primæ classis totius Ecclesiæ, et religionis, et secundæ classis Domini Nostri, et beatissimæ Virginis, nec non in omnibus, quæ apud nos celebrantur cum apparatu primæ classis, canentur primæ, et secundæ vespere: in festivitatibus autem secundæ tantum classis totius Ecclesiæ, vel religionis, et dominicis secundæ tantum vespere canentur: excipe dies sancti Andreæ Corsini, sanctæ Mariæ Magdalene de Pazzis, sancti Thomæ Aquinatis, et translationis sanctæ matris nostræ Theresiæ, in quibus nil canitur. Commemorationes omnes, quæ tam in vespere, quam in laudibus fiunt, hebdomadario solemniter, et cum vestibus sacris non celebrante sine cantu dicantur; in fine completorii semper canatur antiphona Beate Virginis, nisi officium fiat de feria, aut de festo simplici, et denique omnibus diebus missa conventualis semper canatur.

De mensæ benedictione, et gratiarum actione.

§. 21. 6. Benedictio mensæ, et gratiæ, quæ postea persolvuntur, semper sine cantu, devote tamen, et cum pausa fiant; in cantu vero, et in aliis cæremoniis ecclesiasticis tam ad chorum quam ad altaris ministerium, seu ad alios quoscumque conventus actus spectantibus uniformiter serventur ab omnibus, quæ in ordinario continentur. Præcipimusque prælatis, ut omni cura ordinarium studeant observari, negligentiasque ac defectus circa hoc sedulo corrigere.

De cantu Gregoriano in singulis ecclesiasticis functionibus adhibendo.

§. 22. 7. Ut Dei laudes cum gravitate debita, et divinam majestatem decente in tono devoto, et æquali secundum constitutionem sanctorum patrum, et Ecclesiæ approbatam consuetudinem, et absque figurationibus cantantur. Præcipimus, ut tam pro missis, quam pro aliis divinis officiis persolvendis in omnibus nostris conventibus cantus Gregorianus planus, et plenus eligatur, et in posterum inviolabiliter, uniformiterque servetur cum majori vel minori pausa juxta solemnitatum diversitatem. Ea vero, quæ recitanda sunt, non cursim, ac festinanter, sed tractim, et cum magna pausa et intermissione devotissime dicantur, ita ut major pausa, et devotio spiritus in his horis persolvendis suppleat, quod de cantus solemnitate aufertur, in quo a prælatis peculiarem curam præcipimus adhiberi.

De tempore insumendo in recitatione divini officii.

§. 23. 8. Et ut in his certa regula præscribatur, decernimus matutinum cum laudibus in duplicibus et semiduplicibus, et in totius anni feriis per horam unam: in dominicis vero per annum, et quando canitur invitatorium, *Te Deum*, et *Benedictus*, per horam cum quadrante; dum autem omnino canitur matutinum cum laudibus per duas horas perduret, exceptis diebus Resurrectionis, et Pentecostes, in quibus durationis tempus, prudentia duce, regulabitur. In vespere fere dimidia consumatur hora, quæ si cum cantu dicantur, fere tribus horæ partibus persolvantur, nisi aliud major solemnitas postulaverit. Prima ordinaria, et completorium per quartam horæ partem singula recitentur; aliæ vero horæ minores, nempe, tertia, sexta, et nona singulæ ultra dimidium horæ quadrantem insument. Officium parvum beatæ Virginis, et si devote semper, minori tamen cum pausa persolvatur. In missa conventuali ordinaria fere tres horæ quadrantes: in hora autem quæ præcedit quando

canenda est, ultra quadrantem consumantur, nisi major solemnitas plus temporis exigat. Declaramus deinde, ut præfixa temporis mensura intelligenda sit, non a pulsatione, sed a tempore quo officium inchoatur.

§. 24. 9. Fratres laici, et donati quotidie missam audiant, sicut in regula habetur: orationi etiam mentali, atque divino officio intersint ad arbitrium prælati, qui id prudenter disponet juxta eorum vires, et suorum officiorum laborem, et occupationem. Declaramus completorium esse officium vespertinum a vespere distinctum in quo fratres toties: *Pater Noster*: dicere, quoties in vespere tenentur.

De oratione laicorum, et donatorum.

§. 25. 10. In quolibet conventu etiam noviter erecto, ubi commode sex religiosi possint choro interesse, debent sicut alii conventus chorum sequi in omnibus horis tam diurnis, quam nocturnis; canere autem non tenentur, nisi octo conventuales habiles adsint, tunc enim in omnibus tenentur alii conventibus conformari; quamvis pro missa conventuali canenda, et si minus quam sex adsint, sufficiat. In illis vero conventibus, ubi tres conventuales, qui commode regulariter, choro interesse possint, inveniuntur, divinum officium in choro devote, servatis rubricis, recitetur.

De choro quolibet in conventu adhibendo.

§. 26. 11. Quoniam religio nostra sub beatæ Mariæ Virginis patrocinio, tamquam sub præsidio tutissimo Deo militat, statuimus, ut in universo ordine singulis anni sabbathis (exceptis die Nativitatis Domini, et sabbatho majoris hebdomadæ, in diebus festis beatissimæ Virginis Mariæ, et solemnibus ejusdem commemoratione de Monte Carmelo in quibus hora consueta canenda est) primo mane expleta oratione mentali, et dicta prima, missa solemniter de beatissima Virgine canatur: additis duabus commemorationibus, prima de Spiritu Sancto, secunda de beato Joseph: in qua idem tempus quod in missa conventuali, consumendum est. Decernimusque, ut eo die hora consueta missa conventualis, neque canatur, neque recitetur, nisi fuerit dies festus, aut primæ, vel secundæ classis universalis Ecclesiæ, aut primæ classis ordinis, in quibus nihilominus canenda est. Et in vigilia Pentecostes prædicta missa beatæ virginis primo mane, ut moris est, celebrata postmodum hora consueta, totum illius diei officium ad missam spectans, et sacrum ipsum fiat eadem

De patrocinio beatæ Mariæ Virginis.

solemnitate, qua sabbatho majoris hebdomadæ religio nostra uti consuevit. Hoc sacrum omnino, et absque ullo stipendio pro ordinis conservatione, et augmento, in obsequium Virginis applicetur. Teneanturque prælati prædictam missam per se ipsos celebrare: ipsis vero impeditis aliquis ex dignioribus conventus eorum loco celebret. Cui omnes religiosi cujuscumque gradus, et conditionis sint, qualibet excusatione semota, præter eam, quæ prælati arbitrio, gravis, et urgens iudicabitur, interesse teneantur; si quis vero defuerit, in terra eo die comedat. Similiter singulis annis sabbathis, nec non in festiuitatibus licet solum duplicibus beatæ Mariæ virginis, tam communibus, quam peculiaribus alicujus conventus *Salve Regina* in obsequium piissimæ matris nostræ solemniter canatur intra vespertinam horam orationis.

De licentia obtinenda pro discessu a choro, aliisque actibus communibus.

§. 27. 12. Nullus a choro, vel aliis communitatis actibus, sine expressa licentia præsentis, cui suam necessitatem manifestet, exeat etiam ob quamcumque justam causam, et rationabilem sub pena mediæ culpæ.

De tempore insumendo in missæ celebratione.

§. 28. 13. Dæcernimus, ut in venerabili missæ sacrificio tam in cæremoniis, quam tempore celebrationis omnes uniformiter se gerant, visumque nobis est, ut in noaquaue missa privata fere dimidia hora consumatur, idque omnes sacerdotes curent observare. Qui in missa celebranda eas cæremonias, quas Ecclesia tradit, præermiserit, vel nimis festinanter, aut indevotè celebraverit, graviter ad arbitrium prioris puniatur, neque ei permittatur publice celebrare.

De poena contra professos divinum officium non persolventes.

§. 29. 14. Frater, qui post emissam professionem divinum officium non persolvèrit, si sufficienter convictus, aut violenter fuerit suspectus, in cella recludatur, in eaque juxta gravitatem delicti, arbitrio prioris, permaneat, quin inde nisi pro actibus communitatis, excepta recreatione, exire permittatur.

### CAPUT TERTIUM

*De oratione mentali, et examine conscientie, et communi flagellatione.*

De oratione mentali.

§. 30. 1. Quia sicut corporalis cibus conservat vitam corporis, ita oratio conservat vitam spiritus; ordinamus, ut quotidie primo mane hora quinta; in hyeme vero, scilicet a festo omnium Sanctorum usque ad diem Cinerum hora

sexta ab omnibus oratio mentalis per unam horam, et vespere per totum annum hora quinta per aliam similem horam habeatur. Fiat autem oratio hæc in choro, ubi convenientibus omnibus simul, magno tam animi, quam corporis silentio flexis genibus, nisi aliud necessitas postulaverit, præmissaque antiphona: *Veni sancte Spiritus*, et oratio: *Deus qui corda fidelium*; lectio aliqua devotè recitabitur, quæ materiam præbeat meditationis; qua finita, omnes in spiritu, et veritate, mente in Deum erecta, orabunt: transacta vero hora præses simul cum choro dicat: *Sub tuum præsidium*, et postea orationem: *Protege Domine famulos tuos*: cum aliis orationibus ad arbitrium præsentis, et sic terminetur oratio.

De examine conscientie.

§. 31. 2. Ut spiritus præterea fervor magis accrescat hortamur religiosos omnes, tam prælatos, quam subditos potissimum confessarios, ut quotannis spiritualibus exercitiis, saltem per decem dies, piam operam impendant, quæ bis in anno procuratoribus, et aliis religiosis exteriora tractantibus a prælati, ipsis petentibus concedantur. Qui in hujusmodi exercitiis versantur, ab omni officio, et occupatione liberi esse debent, noctu, diuque in cella, sive solitaria ædicula Deo vacantes commorentur. Hæc autem solitaria ædicula in quolibet conventu ubi commode fieri potest (ad minus una) ad dictum effectum construantur cum securâ, et competenti clausura ad arbitrium provincialis; cujus clausuræ clavem habeat prælatus. Et si clausura non fuerit talis, nullus religiosus illic pernociabit: et qui in propria cella dictis exercitiis vacant, solum exeant pro matutino, oratione, et refectorio: qui vero in solitaria ædicula ad nihil horum cogantur exire.

De flagellatione corporis.

§. 32. 3. Deinde bis singulis diebus, nempe immediate ante prandium, et completorio dicto, et peracta disciplina, signo dato ad quotidianum conscientie examen omnes fratres in chororum conveniant, ubi per aliquod breve spatium, utpote per octavam horæ partem propriæ conscientie examini operam dabunt. Qui vero tempore examinis non poterit choro interesse, ubicumque fuerit, prædicto examini studeat.

§. 33. 4. Tandem statuimus, ut omni tempore, exceptis vigiliis, et die nativitatis Domini, cum tribus sequentibus Circumcisione, et Epiphania, et feria secunda Paschæ, et Pentecostes

De flagellatione in communi recipiende.

alternis diebus, scilicet feria secunda, quarta, et sexta fratres communem flagellationem post completorium accipiant, quæ tamdiu duret, quamdiu cantetur psalmus: *Miserere*: cum antiphona *Christus factus est pro nobis*, et tribus orationibus, nempe, *Respice*, *Protege*, et tertia pro rege. Quod si in dictis feriis festum nimis solemne, nempe aliquod ex eis, in quibus matutinum cum laudibus canitur, venerit, disciplina omittatur, in aliis vero solemnitatibus primæ classis, in die antecedenti, vel immediate sequenti sumatur. Sed tribus diebus majoris hebdomadæ, scilicet, feria quarta, quinta, et sexta dictus psalmus ter cantetur.

## CAPUT QUARTUM

### *De confessione, et communione fratrum*

De confessione fratrum.

§. 34. 1. Cum orationis assiduitate ad majorem animarum profectum jungendus est frequens sacramentorum usus. Quare primum statuimus, ut novitiorum magister una cum alio a provinciali mature, et cum delectu designato, tam ipsorum, quam aliorum fratrum professorum (dummodo chorus sint deputati) confessiones audiat. Et idem servetur in domibus noviter professorum. In aliis vero superior illius conventus, et alius ex sacerdotibus pro audiendis fratrum non sacerdotum confessionibus constituantur. Et ut mutua inter prælatos, et subditos dilectio, incrementum quotidie majori inter ipsos spirituali communicatione interveniente suscipiat, hortamur in Domino prælatos omnes, ut sæpe suorum subditorum, tamquam veri pastores, et medici, confessiones audiant, ipsis sponte et proprio motu petentibus, ipsosque subditos iterum, atque iterum moneamus, ut cum prælatis frequenter confiteantur, simulque interiores animi sinus, et corda eis tamquam patribus fideliter aperiant.

De confessoribus eligendis.

§. 35. 2. Cum expediens priori videbitur, licentiam professis fratribus præbeat, maxime in festis solemnioribus confessorem libere eligendi ex iis, quos ipse ad hoc designaverit, dummodo electus sit ex approbatis a provinciali: novitiis vero ex senioribus, et dignioribus conventus, confessores his, aut ter in anno concedantur, et idem ac de novitiis intelligitur de noviter professis in domibus ubi novitii educantur. Oportet tamen, ut prior ali-

quando eorum confessiones, ipsis petentibus audiat.

§. 36. 3. Præcipimus, et districte prohibemus, ne quis ex fratribus tam sacerdotibus, quam aliis habita ordinis confessorum copia, extraneo, et alieno sacerdoti cujuscumque qualitatis, et conditionis sit, confiteatur, et ne jugum Domini suave, et onus ejus læve, nimis grave ministrorum indiscretionem reddatur, caveant prælati, a casuum, sine magna, occasione, reservatione: postulante vero, urgenteque necessitate, non a quocumque, sed a patre generali cum suo definitorio similis reservatio fieri possit.

De casuum reservatione faciendi a generali cum definitorio.

§. 37. 4. Fratres nostri, diebus dominicis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sument: nec non in præcipuis festis Christi Domini Nostri, et beatæ Mariæ virginis, sancti Eliæ, sancti Joseph, ejus patrocinii, sanctorum apostolorum, sanctæ matris nostræ Theresiæ, sancti Joannis a Cruce, sancti Michaelis, omnium sanctorum, angelici doctoris sancti Thomæ, aut aliarum arbitrio prioris festivitatum. Si vero plures communionis dies, aut festivitates simul, aut frequenter occurrant, prioris judicio, aliquis ex his communionis dies relinquatur. Neque aliquis professus audeat sine prioris licentia ad communionem accedere, exceptis tam professis, quam novitis, qui sunt sub disciplina magistri novitiorum, aut magistri noviter professorum, qui de eorum licentia id faciant. Communicent vero fratres in missa majori nisi ob aliquam specialem causam a priore aliud fuerit ordinatum. Ob reverentiam tamen tanti sacramenti, fratres, qui sunt sub disciplina magistri, eo die a recreatione meridiana abstineant, præterquam in solemnioribus festivitibus, præcedente facultate prioris, et pro ejus arbitrio.

De communione fratrum.

§. 38. 5. Fratres omnes etiam sacerdotes saltem in hebdomada confiteantur. Sacerdotes omnes, nisi urgenti inevitabilique, gravique causa impediti, sacrum quotidie devote, debitaque cum puritate faciant. In die vero cænæ Domini, omnes religiosi tam sacerdotes, quam alii de manu prælati corpus Domini sanctissimum recipiant.

De confessione sacerdotum.

## CAPUT QUINTUM

### *De obedientiæ voto stricte observando*

§. 39. 1. Tria religionis vota, in quibus tota religiosorum virtus, et perfectio sita est præ cæteris quibusvis aliis

De voto obedientiæ.

observantiis prosequenda, ac summa cura servanda sunt: præcipue tamen sanctam obedientiam omnes colant, studeantque observare, et superiores non ut homines, sed loco Christi Domini habentes, universa eorum mandata implere contendant, tamquam si a Deo fuissent emanata. Et ut meritum obedientiæ in omnibus cumuletur, volumus ut omnia, quæ agenda sunt sive magna, sive parva absque prioris licentia non fiant.

De literis scribendis, et superiori tradendis.

§. 40. 2. Nullus religiosorum sine prælati licentia cum extraneis intento animo loquatur, et qui secus fecerit juxta suum defectum corripiatur, neque epistolas scribat, mittat, aut recipiat, nisi prius priori ostendatur sub pœna gravis culpæ. Prior vero possit eas omnino legere, et quæ, suo arbitrio, religiosorum pacem poterunt perturbare, recipi, aut mitti non permittat, idemque faciat de illis, quæ inutiliter rumores, aut alia nostro statui, aut religiosorum profectui, et quieti nociva continent. Superiori tamen scribere, aut ejus epistolas recipere, omnibus absque inferioris prælati licentia libere permittitur.

De iis, qui literas superioribus directas legere, vel detinere præsumserint.

§. 41. 3. Si quis epistolam, aut epistolarum fasciculum a patre generali, a definitivis, a provincialibus, a visitoribus, et ab aliis superioribus missum aperuerit, vel detinuerit malitiose locum, et vocem amittat per tempus delicto proportionatum, et carceri tradatur. Qui vero literas missas ad eosdem aperuerit eadem pœna puniatur, eidemque pœnæ subiaceat, qui literam, aut schedulam sine sui nominis subscriptione, aut sufficienti expressione ad prælatos, aut alias personas extraneas scripserit. Nullusque audeat literas alterius fratris aperire, vel eas scienter retinere, sub gravi pœna, arbitrio prioris applicanda.

De iis, qui præceptum formale superiorum transgrediuntur.

§. 42. 4. Qui præceptum aliquod formale superiorum transgreditur per viginti dies in carcerem conjiciatur: et tam initio hujus pœnæ, quam in fine, panem, et aquam in terra comedat, et disciplinam in refectorio recipiat, ut quo ejus pœna fuerit notior, eo emendator evadat, et aliorum scandalo occurratur.

De præceptis et censuris sine necessitate non imponendis.

§. 43. 5. Quamvis præcepta ad tuendam regularem disciplinam sæpe sint necessaria, sobrie tamen, magnaque circumspectione sunt imponenda: quapropter caveant prælati præceptis, aut censuris nisi in gravi necessitate, et causa, summaque cum maturitate, ut,

ne ubi remedium quæritur, perniciēs paretur. Quare decernimus, ut præcepta non obligent, nisi in scriptis, et horum verborum serie ferantur. *In virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto.* Hoc vero non intelligatur de præceptis, quæ in visitatione a prælatis, sive visitoribus feruntur: nec de præceptis, quæ in capitulis generalibus, et provincialibus imponuntur: nam tunc quælibet eorum præcepta, etiam si in scriptis non tradantur, nihilominus obligandi vim obtinebunt. Cum autem censuræ sint imponendæ, semper in scriptis, et sub hac forma ferantur: *sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ.*

§. 44. 6. Tempore capituli generalis, vel provincialis, censuræ, aut præcepta, a nemine prorsus neque in communi, neque in particulari nisi a definitorio imponantur toti capitulo, aut majori ejus parti, et tunc totum definitorium, et ipse præsidens eodem præcepto maneant ligati.

De censuris tempore capituli generalis, vel provincialis imponendis.

§. 45. 7. Præterea prælati superiores propter bonum pacis diligenter animadvertant ne inferiorum prælatorum officiis se ingerant: nam, et si superioribus, ea quæ inferiorum sunt ministeria, subjacere non dubitamus, simili tamen potestate, uti non oportet, nisi ob inferiorum defectum, sive alias cum prudentiæ ratio, vel bonum regimen in casu aliquo particulari postulerit. Caveant tamen inferiores omnes, tam subditi, quam prælati, superioribus quocumque modo aliquid præcipientibus contentiose, aut irreverenter se opponere, sed tantum (si opus fuerit, maxime in re gravi) de hoc cum omni reverentia, et humilitate, eos admoneant; statim vero teneantur superiorum mandata, nulla interposita mora, exequi; poterunt tamen, negotio id exigente superioribus factum denunciare, ut ipsi de remedio provideant. Si quis vero inferiorum prælatorum in hoc deliquisse inveniatur, graviter juxta modum excessus puniatur.

De officiis prælatorum inferiorum a superioribus non occupandis.

§. 46. 8. Ordinamus, ut religiosi omnes suis prælatis immediatis in omnibus obediant, neque ulla ratione ab obedientia præstanda excusentur. Qui allegaverit, se a superiore aliquam habere licentiam, nisi eam habeat in scriptis, inferiorique manifestet, nulla illi fides adhibeatur.

De allegantibus licentiam superiorum non audiendis.

§. 47. 9. Si aliquis (quod Deus avertat) eo devenit malitiæ, et proterviæ, ut prælati Christi vicem gentis reverentiam graviter offendat, cæteri

De pœnis contra violatores voti de obediuntia.

religiosi studeant diligenter, ut delinquens severe, acriterque puniatur, et quælibet alia irreverentiæ culpa, etiam si lævis appareat, nullatenus impunita remaneat, ne honor, et reverentia prælati debita, non sine magno regularis disciplinæ detrimento contemnatur. Volumus, et declaramus, quod in absentia proprii prælati conventus, quando est extra oppidum, et amplius, quam per viginti quatuor horas immoratur, ejus vicarius, vel præsidens possit in casu necessitatis præceptum imponere, ad cujus impletionem, conventus, vel ille cui imponitur teneatur.

## CAPUT SEXTUM

*De castitatis voto*

De voto castitatis.

§. 48. 1. Per castitatis votum angelicam quodammodo in terris assequimur puritatem, et licet castitas in corde præcipue retinenda sit, externis etiam sensibus illam colere oportet. Quare studeant religiosi omni tempore, ac loco eam modestiam præferre, ut pudici oculi, et pudica lingua signa sint interioris puritatis.

De associatione inter fratres extra conventum exeuntes.

§. 49. 2. Et ut hujus vitæ pericula commodius evadamus, oportet nostræ conversationis testes, nobiscum semper afferre, quare stricte præcipimus, ut religiosi extra conventum exeuntes invicem associentur, neque alter ab altero separetur, ita ut unus ab altero non possit videri. Quod si quis eorum non ita modeste se gerat, vel quidpiam quod minus deceat statum suæ professionis in materia castitatis commiserit, si hoc fuerit totaliter occultum, et illius emendatio speratur, corrigat illum statim socius. Sed si justo timore non fuerit ausus, vel non credat se profuturum, ut aliquid damnum religioni, aut bono nomini illius inde venturum merito timeat, vel post factam correctionem in eandem illum viderit reincidere culpam prælato, ut patri, denunciaret, vel si qualitas culpæ hoc postulaverit, tamquam judici, ut juxta nostras constitutiones de salubri remedio provideatur. Si autem culpa fuerit contra bonum commune religionis, et illi multum nociva, statim deferat superiori, ne inde notabile damnum congregationi sequatur.

## CAPUT SEPTIMUM

*De paupertatis voto*

§. 50. 1. Ut paupertatis votum integre servetur, et detestandum omnibus religiosis proprietatis vitium procul ab ordine arceatur, sciant in primis fratres se ratione voti paupertatis in professione emissi, teneri omni cujusque rei dominio, et possessionis effectui renunciare, et solo usu necessarium contentos esse debere, quem non unusquisque sibi applicare, aut vendicare potest, sed ut regula præcipit, omnia a prælato, vel a fratre ab eo deputato distribuantur, inspectis ætatibus, et necessitatibus singulorum. Ab ipso igitur prælato omnia concedi debent, et ad ejus nutum revocari, et amoveri pro uniuscujusque indigentia, et necessitate.

De voto paupertatis.

§. 51. 2. Nullus fratrum aliquid proprium sibi esse dicat, omninoque in religione, *tuum, et meum*, atque omnis possessio re, et verbo tollatur: nec liceat alicui sive subditus sit, sive prælatus, aliquid etiam parvum retinere, neque alienius rei usum sibi in conventu, vel extra illum separatim reservare, nec quidquam aliud habere præter ea quæ unicuique ad necessarios usus ab ordine conceduntur.

De vita communi.

§. 52. 3. Omnia bona, quæ religiosi ex quacumque causa, sive ratione lectionis, sive prædicationis, cappellaniæ, legati, vel eleemosynæ, vel quovis alio titulo obvenerint, statim integre, ut sacrosanctum concilium Tridentinum statuit, prælato tradantur, et in communem arcam, sive officinam mittantur, bonisque communitatis incorporentur, ut in communes usus eorum administratio ad nutum superioris fiat: nec prior, sive quicumque alius audeat in cella sua, aut alibi intra conventum, aut extra illum aliquid particulare sibi servare, aut quocumque alio modo, etiam de sculentis absque licentia prælati deponere sub pœna proprietarium juxta gravitatem delicti. Nec præterea sit inter nos aliqua arca, locus, aut depositum, ubi fratres pecuniam, aut alia bona sibi peculiariter reddenda custodiant.

De bonis a religiosiis quavis causa acquisitis.

§. 53. 4. Debent propterea omnes ratione suæ professionis animum habere paratum sponte resignandi in prælatorum manibus (quoties id fieri mandaverint) ea omnia, quæ sibi ad usum sunt permissa; alias se paupertatis voti transgressores existiment.

De resignatione etiam de rebus permisis faciendâ.



De iis, quæ  
ad paupertatem  
spectant.

§. 54. 5. Ad paupertatem etiam spectat, nihil sine superiorum licentia habere, possidere, dare, vel accipere, deponere, mutuare, aut cum aliis permutare, vel quovis alio modo alienare, vel quidquam inscio prælato dissipare, aut occultare. Usum clavium in januis cellularum juxta ss. papæ Urbani VIII. decretum permittimus, dummodo superior clavem habeat, ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur cellas omnes aperire possit, et nullus propterea cellam noctu ita claudat, quin semper a superiori possit reserari. De cætero omnem arcam clavium, et similibus usum tanquam proprietatis fomentum damnamus, exceptis patri generali, definitioribus generalibus, et provinciæ provincialibus, eorum secretariis; nec non procuratoribus generalibus utriusque curiæ, eorum sociis, procuratori Indiarum, et procuratoribus conventuum, quibus omnibus usum clavium pro servandis literis, et instrumentis ad sua munera spectantibus concedimus, et indulgemus. Insuper prior conventus intra arcam trium clavium habere poterit aliquam capsellam a prædicta arca nunquam removendam cujus clavem ipse retineat.

De prohibita  
dispersione  
honorum con-  
ventus.

§. 55. 6. Inhibemus præterea sub proprietariorum pœna infligenda, ne prælati de bonis conventus expendant, donent, aut alienent aliquid notabile, cum ad ipsos non minus, quam ad alios votum paupertatis pertineat; nec pecunias secum asserant, aut alibi, nisi in arca communi, vel in loco duobus clavaribus, aut duobus aliis ex senioribus religiosis cognito, et ex arca communi clavariorum notitia extractas reconcant, ita tamen, ut de quantitate in arca reposita, et de die ingressus semper in scriptis constet, et cætera serventur, quæ circa honorum administrationem conventus in tertia parte cap. 6. harum constitutionum stabiliuntur.

De pecuniis  
spud religio-  
sos non relin-  
quendis.

§. 56. 7. Statuimus, omninoque prohibemus religiosis nostris cujuscunque gradus, et conditionis sint, veluti magistris novitiorum, sacristis, hortulanis, sive aliis pecunias apud se retinere, etiam in usus monasterii sui, nec prælati similem licentiam concedat; sed pecuniæ ex communi arca extrahantur, expendanturque per officiales in usus monasterii. Neque procuratores, donati, laici, aut alii officiales sine expressa prælatorum facultate pecunias consumant, aut quælibet alia quoquomodo alienent.

§. 57. 8. Nemini deinceps tam prælatorum, quam subditorum liceat, depositum apud se retinendum, sive sit in pecuniis, sive aliis bonis, acceptare, etiamsi restitutionis causa, tale depositum commendetur. Si vero aliqua urgenti causa, et gravi necessitate depositum oporteat acceptare, tunc de licentia prioris fiat: et non nisi ex una, et altera parte data, acceptaque charta a prælato, et depositi domino subscripta in qua cuncta, et singula quæ traduntur in specie, et numero recenseantur, reponanturque in arca communi, vel in alia officina juxta depositi qualitatem, ubi omni fidelitate servetur, suo tempore integrum intactumque reddendum: sub pœna suspensionis ab officio per quatuor menses.

De depositis  
necessariis, de  
licentia prioris  
acceptandis.

§. 58. 9. Porro ad perfectiorem extirpationem vitii proprietatis strictè præcipimus prioribus, vicariis, aliisque superioribus immediatis, ut ad minus bis per singulos annos sub pœna suspensionis ab officio per quindecim dies religiosorum omnium cellas, codices, vestes, suppellectiliaque omnia visitent, atque examinent; superfluaque, inutilia, aut minus necessaria, secundum strictissimam paupertatem, quam profitemur omnino auferant, aut si opus fuerit de necessariis provideant. Teneanturque tunc omnes professi, et quoties a superioribus fuerint requisiti, eis ostendere, in eorumque voluntate resignare quidquid in cellis vel alibi habent. Qui vero prælatis aliquid celaverit, ut proprietarius puniatur, juxta suum delictum.

De visitatione  
cellarum, et  
suppellectilium  
religiosorum.

§. 59. 10. Si quis de pessimo proprietatis vitio in re gravi fuerit convictus, juxta dispositionem concilii Tridentini activa, et passiva voce careat, et insuper in carcerem detrudatur juxta qualitatem delicti; in quam pœnam nulla cadat dispensatio.

De pœnis in  
peccantes con-  
tra votum  
paupertatis.

§. 60. 11. Et quia in regula nostra non solum in particulari, sed etiam in communi paupertas commendatur, in primis sancimus, ne conventus nostri professiones, sive immobilia bona, quæ radices dicuntur ex quavis causa seu titulo possint habere, neque alicujus fratris hæreditatem jure hæreditario quoquomodo patere, seu acquirere; omnem spem nostram in verbis Domini collocantes, qui ait: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adiicientur vobis.*

De prohibita  
possessione  
honorum sta-  
bilitium.

§. 61. 12. Poterunt tamen legata, et alias quascumque elemosynas recipere, quæ si fuerint in bonis immo-

De legatis, et  
elemosynis  
accipiendis.

bilibus; seu radicibus dum opportune, et habita capitalis securitate fieri potest, vendantur, eorumque pretia in illius conventus, cui relicta, vel donata sunt permanentem utilitatem convertantur. Poteruntque institui hæredes, sed de bonis inde acquisitis, sicut de aliis legatis disponant. Nec novitiis ullo modo permittatur de futura successione absque libero parentum consensu disponere.

De exclusione juris succedendi in hæreditates fratrum.

§. 62. 13. In conventibus, et collegiis nostri ordinis pro eorum sustentatione licebit juxta concilium Tridentinum annuos redditus, pia legata, et alias fidelium elemosynas retinere non tamen in fratrum hæreditatem jure hæreditario succedere.

De legibus servandis pro onere missarum assumendo.

§. 63. 14. Item ordinamus, ne conventus, aut collegia nostra perpetuum missarum onus possint admittere pro elemosyna statim sive in ædificiis, sive in alia re consumenda: sed sicut onus perdurat, ita elemosyna perpetuo conservetur. Majori autem religiosorum clausuræ, et quieti consulentes, et ut conventus insupportabilibus non graventur oneribus, statuimus, ne ratione foundationis, patronatus conventus, ecclesiæ, aut cappellæ, vel alicujus piæ memoriæ cum anniversariis missarum, et alterius religiosæ functionis onere, elemosyna annua, et perpetua in eis admittatur, nisi servatis his quæ sequuntur. Primo, ut fiat præcedente definitorii provinciæ cum quatuor ex quinque suffragiis consensu in scriptis exhibito. Secundo, ut si prædicta elemosyna sit in bonis immobilibus, sive radicibus, ut domibus, vineis, agris, olivetis, et his similibus, omnia hæc vendantur, ut dictum est; eorum namque dominium, et administrationem in conventibus, aut collegiis nostris nullatenus haberi, et retineri permittimus, nisi pro tempore eorum congruæ venditioni cum capitalis securitate, et absque notabili communitatis præjudicio proportio partur: nec super hoc poterit aliquis ut aliter fiat, dispensare. Denique ut capitale ex venditione resultans statim imponatur.

De inscribendis susceptis oneribus in tabulis conventus.

§. 64. 15. Semel vero imposita elemosyna secundum formam præscriptam, nullatenus alienetur, vel consumatur sine consensu nostri capituli generalis, aliisque de jure servatis. Volumus etiam, ut hæc memoriæ, sive onera conventus in aliqua tabula scribantur, quæ in sacristia collocetur, ut omni cura adimpleantur juxta summorum pontificum decreta, præcipue Innocentii XII.

rum pontificum decreta, præcipue Innocentii XII.

§. 65. 16. Si quis aliter quam prædictum est, memoriam, sive anniversarium aliquod instituat, sive alio modo cum monasteriis nostris aliquem ineat contractum, tunc poterit acceptari, dummodo quam primum fieri possit id in definitorio provinciali denunciatur, ejusque licentia obtineatur, et ad formam præscriptam circa alias memorias, stabilis redigatur.

Declarationes circa contractus initos pro anniversariis, et aliud simile.

§. 66. 17. Et quoniam Tridentinum præcipit, ut is tantum numerus religiosorum constituatur, qui commode ex consuetis elemosynis possit sustentari, ut paupertati conservandæ omnino consulatur decernimus, ut in singulis conventibus nostri ordinis commoda habitatione, et debita clausura præditis, non sit minor numerus, quam quidecim religiosorum, neque major triginta. In collegiis vero, et domibus tam novitiorum, quam noviter professorum plures esse permitimus: et intra dictum numerum, fratres donati, et laici non computentur.

De numero religiosorum in quolibet conventu servando.

§. 67. 18. Ornamenta, et vasa sacra pro divinis officiis in nostris ecclesiis celebrandis, talia esse volumus, ut debitum Dei cultum deceant, et nostræ professionis paupertati conveniant. Scimus enim ex concilio Viennensi relato in Clement. *Exvi de Pado radiso §. licet de verb. significat.* quod Deus non vult serviri per ea, quæ servorum suorum statui, et conditioni dissonant.

De vasis, et ornamentis sacris.

§. 68. 19. Quapropter lampades, candelabra, et vasa ecclesiæ deputata (præter calices, pyxides, antecustodia, in quibus venerabile sacramentum servatur, aut in processionibus deferuntur, turribulum simul cum navicula, et vas olei sacri pro infirmis) quæ aurea, aut argentea sint, omnino in ecclesiis nostris interdiciamus nisi sint gratis a fidelibus nobis donata, quia tunc ne fidelium pietas impediatur ea admittere permittimus. Deique cultui et nostrarum ecclesiarum ornatui dicare.

De lampadibus et candelabris, vasibus, aliisque suppellectilibus aureis, vel argenteis prohibitis.

§. 69. 20. Similiter de casullis dalmaticis, et aliis paramentis sentiendum est, quæ in auro, vel argento contexta sint, habere non licebit, nisi fuerint gratis donata. Erunt omnia ad summum de materia serica, et duo tantum ornamenta permittimus, unum rubri, et aliud albi coloris pro solemnibus festivitatibus, partim ex tela serica, et partim ex aurea, vel argentea ordinate consutis, efformatum.

De forma, et materia paramentorum.

De suppellecti-  
li in victu, et  
vestitu adli-  
benda.

§. 70. 21. Rerum usum, ita superiores inferioribus permittant, ut eorum supellex, sive utensilia tam in victu, quam in vestitu tenuitatem, paupertatem, vilitatem, et asperitatem præferant, ut sic a filiis sæculi discernantur. Præcipue vero interdiciamus earum rerum usum, quæ aureo, vel argenteo, aut serico ornatu efficiuntur, etiamsi in parva quantitate, aut pro reliquiis et sacris imaginibus, vel similibus religiosi eis utantur.

De superfluitate a cellis eliminanda.

§. 71. 22. In cellis vero quidquid superfluum, aut curiosum est abdicatur; tantumque concedantur imagines in pariete, vel in papyro depictæ, non vario colore aliquo, sed nigro tantum expressæ. Mensis præterea, sedilibusque vilioribus, et simplicibus utantur; sellam autem quantumvis humilem liceat habere.

### CAPUT OCTAVUM.

#### De communi vita, et æquali

De vite communi.

§. 72. 1. Quia communis vita fundamentum est paupertatis, et vinculum regularis observantiæ, prælati omnibus severe, acriteque præcipimus ne suis subditis quidquam denegent ex iis, quæ ad victum, et vestitum, libros, medicinas, aut aliquod quodcumque necessarium spectat: sed de his omnibus illis sufficienter, secundum nostræ paupertatis statum, diligenter provideant, atque ut veri patres, si quid eis desit, inquirent. Statuimusque, ut in unaquaque domo sint officinæ communes librorum, vestium, et aliorum, quibus deputentur proprii officiales, et ex his officinis, omnia tam tempore salutis, quam infirmitatis, tam in conventu, quam in itinere, religiosi omnibus, inspectis eorum necessitatibus, et ætatibus provideantur, sub pœna suspensionis ab officio prælati in hoc negligentibus. Volumus deinde, ut hæc vita communis perfecte observetur ab omnibus, tam a patre generali, et prælati quibuscumque, quam a subditis, tam fratribus, quam monialibus: nec alicui liceat peculiare aliquid habere, aut aliter quam in communi, et de communi vivere, sub pœna pro qualibet culpa infligenda.

De vite communis ratione, et substantia.

§. 73. 2. Hæc igitur communis vita æqualis esse debet in omnibus. Aequalem vitam appellamus, quando omnes, sive fratres, sive moniales, prælati, atque subditi una mensa, uno cibo, eadem

veste, eadem habitatione, et denique omnibus aliis ad victum, et vestitum pertinentibus, cæterisque rebus ad regularem vitam, et disciplinam spectantibus æqualiter gaudent, atque utuntur: ita ut sine ullo discrimine officii, inspectis tamen (ut regula præcipit) ætatibus, et necessitatibus sine ulla acceptatione personarum inter prælatum, et subditum, si uterque æqualibus valeat, aut ægrotet, eadem omnino mensura, idemque modus servetur, ut sic tam in capite, quam in membris regularis disciplina resplendeat. Et cum in hoc potissimum consistat nostræ professionis regularis observantia, nihilque magis pro bono pacis, aut religionis expediat omni cura, et diligentia, (ut sancta synodus Tridentina præcipit) a superioribus adhibenda est, tam in capitulis generalibus, et provincialibus, quam in omnibus visitationibus, ut ab hac communi vita non recedatur, cum sine illa, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent vix conservari queant.

§. 74. 3. Præterea volumus (ne ab hac communi vita religiosi, aut prælati quæsitis occasionibus excusentur) ut nullus eorum in negotiis quantumvis piis, etiam in munere prædicationis tantum se occupet, ut commode non possit sui ordinis regulari observanter vitam, et communem, cui sua se professione devinxit, servare, sed ita se gerat in his rebus exterioribus, ut professio ab eo facta integra, et illæsa permaneat.

De regulari observantia etiam in prædicatione servanda.

§. 75. 4. Ut in omnibus etiam aliis servetur humilitas, et æqualitas ad omnia officia humilia peragenda deputentur in tabula communi omnes prælati tam inferiores, quam superiores etiam pater generalis. In aliis vero tabulæ officiis distribuendis spectandæ sunt ætas, et necessitas singulorum, ut regula monet; ideoque ordinamus, ut ab eis excipiantur qui in cæremoniali nostro designantur excepti, quod non nisi maturo examine decretum est. Et hi qui chori ministerii, aut aliis per communem tabulam singulis hebdomadis deputantur maxima curent diligentia, officia sibi injuncta adimplere: et qui urgente necessitate ob officio sibi injuncto excusatur, denuntiet statim prælato, ut ejus loco alterum substituat sub pœna unius disciplinæ.

De humilitate, et æqualitate in omni officio servanda.

## CAPUT NONUM

*De clausura, et de modo exeundi*

De clausura.

§. 76. 1. Quia regula præcipit, die ac nocte in cella manere, et cum clausura sit potissima nostri instituti pars, nullo tempore liceat e cella absque necessitate egredi, nisi de licentia prioris. Præcipue vero, completorio dicto, fratres in cellas se recipiant (nisi ratione devotionis aliquandiu in choro manere quis velit) e quibus nisi ad necessaria naturæ, aut sine superiorum consensu non exeant.

De vetito ingressu in aliorum cellis sine licentia superioris.

§. 77. 2. Nemo absque expressa prælatorum licentia pro qualibet vice alterius cellam ingrediatur, neque fratres choristæ non sacerdotes in cellam superioris, neque lectores in studentium cellas, aut e contra ingrediuntur. Quod si quis nocte alicujus cellam intraverit privationem vocis, et loci incurrat per unum mensem; si vero alio tempore id fecerit in terra comedat, et unam disciplinam accipiat. Huic etiam pænæ subjaceat, qui prælati cellam, eo absente, quacumque hora intraverit. Extrahens vero aliquid ab alterius cella præcipue exceptorios codices, graviter puniatur pro qualitate delicti. Et si alicubi circa ingressum cellularum fuerit nimis defectus, prior, vel provincialis, vel formalis præcepto, et majori pænâ prohibeat.

De cellis a quolibet religioso habitandis.

§. 78. 3. Et cum regula nostra præcipiat, ut maneant singuli in cellulis suis, stricte prohibemus, et omnium prælatorum conscientias oneramus, ne unquam assignent aut habitare permittant in aliquo conventu plures fratres, quam sint cellæ, neque unquam duo in una commorentur.

De iis, qui a domo exire possunt.

§. 79. 4. Neque fratres e domo exire permittimus præter priorem, et procuratorem aut ejus vicesgerentem ad negotia domus expedienda: prædicatores ad concionandum, examinatores synodales pro suo munere obeundo, confessores ad monialium audiendas confessiones, vel sæcularium qui gravi infirmitate detenti sunt, aut in mortis articulo constituti; spirituali indigent auxilio, et eos qui in conventibus nostrarum monialium sunt necessarii pro celebrandis festivitatibus s. corporis Christi, sanctissimæ Matris nostræ Mariæ de monte Carmelo, sanctorum parentum nostrorum Joseph, Theresiæ, et Joannis a Cruce titularis conventus, et velaminis sacri, vel si pro aliis festivitatibus celebrandis moniales

petierint religiosos, et tunc hi tantum qui pro altaris, et pulpiti ministerio sufficiunt, quin unquam numerum duodecim excedant.

§. 80. 5. Præter dictos nemo e conventu exire permittatur, nisi propter hospitum frequentiam, aut negotiorum multitudinem, cum aliquo conventu a capitulo provinciali dispensetur. Exeuntibus autem stricte præcipimus, ut recta via eo tendant, nec alio, aut alterius rei tractandæ gratia, sive prætextu divertant: sub pænâ panis, et aquæ pro qualibet vice irremisibiliter applicanda. Prælatorum item conscientias oneramus, ut summo studio id curent observare sub eadem pænâ. Prælate egrediente ad oppidum, qui ejus loco præest nullatenus possit exire.

De poenis contra divertentes a via adsignata a superiore.

§. 81. 6. Statuimus præterea ne fratres egrediantur ad sepeliendos mortuos, sive responsoria persolvenda, nisi pro rege, et regina, cæteraque prole regia, cardinalibus, et episcopis diocesanis, nec non pro regibus sub pænâ suspensionis ab officio.

De mortuis non sepeliendis a fratribus.

§. 82. 7. Item ordinamus, quod cum ex privilegio sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII., et Pauli V. non teneamur ire ad aliquam processionem, deinceps religiosi Nostri ad nullam quantumvis generalem, et solemnem processionem exeant, nisi a magistratibus, vel capitulis ecclesiarum invitati fuerint. Neque in die processionis e domo particulares egrediantur, nunquamque mulieres (juxta præscriptum a sanctissimo papa Benedicto XIV. in Bulla regularis disciplinæ) ratione processionis, sive alio titulo nostra ingredi claustra permittantur sub pænâ suspensionis ab officio per duos menses.

De interventione ad processiones.

§. 83. 8. Præterea præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto; nec non sub pænâ excommunicationis majoris læsententiæ, omnibus, et singulis religionis nostris tam prælatis, quam subditis cujuscumque gradus, et conditionis sint; atque ordinis, vel professionis existerint, ut nullo modo (data opera) per se, neque per alios intrumittant mulieres, neque puellæ etiam septem annorum minores intra septa monasterii; nec aliis ad id opitulentur, neque jam ingressis feminis associantur (intelligantur autem sub hac prohibitionem fore comprehensa omnia loca quæ ad clausuram quomodocumque pertineant, ut sunt dormitoria, officinæ omnes, et etiam claustra, atque vallati

De exclusionemulierum, et etiam puellarum a septis monasteriorum.

horti) secus autem facientes, si prælati sint, ultra prædictam censuram per sex menses ab officio suspendantur; si vero subditi ex choro addictis voce, et loco totidem mensibus careant. Laici tamen atque donati proportionabiliter puniantur. Volumusque, ut juxta qualitatem delicti hujusmodi pœna unicuique augeatur. Hæc autem censura, et pœna non incurritur in casu processio- num supra posito numero præcedenti, ubi propria pœna taxatur. Sub eodem præcepto prohibemus introductionem mulierum etiam puellarum septennio minorum in hospitibus, ubi dugant nostri religiosi.

De modo in-  
cendi, dum  
egreditur a  
monasteriis.

§. 84. 9. Fratres omnes simul incedant, communiter exeuntes, nec permittatur, aliquem a communitatis consortio separari. Cum vero ad aliqua in ordine permessa egrediuntur, novissimum, humilioremque locum studeant eligere. Priori non liceat extra domum in oppidum, ubi constructum est monasterium fratres mittere absque sociis solemniter professis sub pœna tam eunti, quam mitenti gravis culpæ. Idem sit de suburbiis oppidi, in quo adest conventus ordinis: extra oppidum vero idem servetur, nisi quando religiosi de uno conventu in alterum transferuntur, aut iter duodecim leucarum facturi sint, vel gravi interveniente necessitate, accedenteque tunc provincialis licentia, quæ cum commode haberi non possit, prior de consensu trium clavariorum similem facultatem concedat ubi aliter fieri non potest. Studeantque provinciales, sive visitatores hujus, et aliarum rerum ad clausuram spectantium observantiam diligenter inquirere.

De non mit-  
tendis patribus  
ad patriam.

§. 85. 10. Nullus absque socio, nisi per patrem generalem fuerit dispensatum in suam patriam mittatur, nisi alias in eo sit monasterium ordinis: sub pœna privationis vocis, et suspensionis ab officio per unum mensem exeunti, et mittenti.

De benedictio-  
ne postulanda  
in exeundo, et  
redeundo ad  
conventum.

§. 86. 11. Omnes religiosi sive sint conventuales, sive hospites, tam exeuntes a conventibus, quam redeuntes genibus flexis, indutique pallio benedictionem a præsentibus domorum accipiant: idemque faciant prælati inferiores quando in conventu adsunt prælati superiores, et coram sanctissimo Sacramento, tam exeuntes, quam redeuntes breviter orent, redeantque hora competenti, nempe mane ante meridiem, vespere vero ante lucis occasum; qui vero noctu venerit, die sequenti in terra comedat.

§. 87. 12. Exeuntes nullum aliud negotium, nisi a prælato designatum agant, si vero aliquod necessarium occurrat, eo peracto cum domum pervenerint priori aperiant, et idem omnino servetur in agentibus iter. Præcipue vero statuimus, ut in oppido ubi conventum habemus, quando fratres ad iter agendum exeunt, vel cum redeunt, sæcularium domos expressa licentia non ingrediantur sub pœna reclusionis in propria cella per octo dies.

De negotiis  
agendis ab iis  
qui licentiam  
de exeundo  
obtinuerunt.

§. 88. 13. Studeant maxime prælati ne religiosi extraneorum, etiam consanguineorum negotiis occupentur: ne exterioribus rebus implicati suæ professionis obliviscantur. Quare nullus sæcularium negotia sine superiorum licentia procuret.

De negotiis  
prohibitis.

§. 89. 14. In sociis assignandis, prælati cum omni circumspectione, prudenterque se gerant, et nullus designatum socium sub gravi pœna audeat non admittere, vel alium importune petere.

De sociis assi-  
gnandis.

§. 90. 15. Tempore capituli generalis, vel provincialis, fratres iter non faciant, nisi ad ea negotia peragenda, quæ nulla ratione possunt differri.

De itinere non  
faciendo tem-  
pore capituli  
generalis.

§. 91. 16. Potissimum vero prælati omnibus elaborandum est in monasteriis adeo jugiter permanere, ut cæteri eorum exemplo libenter domi permaneant, et alia incommoda excusentur. Visitent præterea singulis noctibus clausuram per se, vel per superiorem, clavesque secum, vel alibi observent, ne unquam tantum malum eveniat, ut quis absque prælati licentia clausuram egredi attentet. Quod non tantum de priore, sed etiam de vicario, vel conventus præside intelligendum est.

De exemplo  
a prælati præ-  
bendo.

## CAPUT DECIMUM

### De modo servando in petendis eleemosynis

§. 92. 1. Quoniam in petendis eleemosynis magna cupiditas sub specie boni corda subintrare solet, unde spiritualis ruina religiosorum animis paratur, et sæcularibus molesti, nimis onerosi, imo et contemptibiles fieri solent: statuimus, ut fratres nostri ad eleemosynas, quæ singulis totius anni hebdomadis ostiatim medicantur; nunquam egrediantur neque petendæ eleemosynæ causa in areas tendant, neque etiam in aliis oppidis hoc permaneant sub pœna suspensionis ab officio per duos menses prælati infli-

De modo ser-  
vanda in pe-  
tendis eleemo-  
synis.

genda: subditis vero gravis culpæ per quinque dies; quæ omnia per donatos, vel fratres laicos permittimus. Quod si contingat alicui conventui graviter egerere, tunc prædicator domus, vel aliquis religiosus ex senioribus ad idque muneri obnoxium aptioribus comitatus parochi, vel aliqua venerabili persona (prout priori videbitur expedire) in oppidum pro petenda eleemosyna egrediatur.

De laicis mittendis extra oppidum pro petendis eleemosynis.

§. 93. 2. Si necessariam fuerit extra oppidum pro petendis eleemosynis exire, stricte præcipimus, ut hoc nunquam per religiosos choristas, sed præcise per laicos, vel donatos fiat, nec cum ordinis dedecore omnium rerum species postulentur, sed eos tantum terræ fructus, quos communiter in populo a religiosis postulari consuetum est.

De diminutione religiosorum deficientibus modis pro eorum sustentatione.

§. 94. 3. Prælati vero, qui hunc debitum modum servantes suos conventus nequeunt sustentare, numerus religiosorum a provinciali diminuat. Hortamur in Domino, et sæpius in visceribus Jesu Christi superiores omnes monemus, ne terrena cælestibus, humana divinis præferentes subditorum salutem ac proinde proprium (cum eorum rationem teneantur reddere) pro vili, ac temporali lucro tot periculis exponant.

De veteris eleemosynis.

§. 95. 4. Nemo audeat suo nomine eleemosynam pro parentibus, consanguineis, aut pro aliis extraneorum necessitatibus postulare, aut accipere. Neque prælati præter patrem generalem, possint ad hoc licentiam præbere, sub pœna reclusionis talem eleemosynam postulanti secundum qualitatem culpæ. Si vero contingat alicujus religiosi patrem, vel matrem urgente, et gravi opprimi inopia, tunc ille certiolem faciat p. generalem; ipse vero examinata eorum necessitate, et cæteris inspectis circumstantiis, eis meliori modo, quo possit juxta paupertatem ordinis, et de consensu p. generalis subvenire poterit: ut sic religiosi ab hac cura, et sollicitudine liberentur. Neque ullo modo eis permittatur de hoc per se tractare, vel in eo se intromittere. Noverintque omnes fratres ordinem, seu prælatos ad subveniendum eorum parentibus raro teneri.

De eleemosynis pro missis.

§. 96. 5. Stricte præcipimus, ne in aliquo conventu recipiantur plures eleemosynæ pro missis, quæ intra mensem persolvi non possint, sub pœna suspensionis ab officio per tres menses prioribus, aut vicariis infligenda. Po-

tissimum vero provincialibus sub pœna inobedientiam præcipimus, ut pœnam prædictam exequantur, ordinationemque nostram maximo zelo curent adimpleri. Quod non tantum de eleemosynis ab ipso prælato receptis, sed strictius de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Ut autem rectius observetur priores in capitulo provinciali per instrumentum juratum a tribus claviis subscriptum fidem reddere de ejus adimplerione teneantur. Qui secus fecerit in capitulo provinciali ad officia ordinis nominari, aut eligi nequeat. Prius autem provincialis, in ejus conventu mature discussione facta, si exploratum habuerit, debito non satisfacisse, atque testimonium prædictum malitiose non attulisse teneatur capitulo provinciali rem totam in forma, faciente fidem aperire.

De distributione missarum.

§. 97. 6. Cum ob sæcularium devotionem major accesserit numerus missarum, quam in eo conventu persolvi possit, prior præcedente provincialis consensu in eos conventus distribuat, ubi citius persolvantur dummodo benefactorum mens non obstet: alioquin ultra vires omnino non recipiantur, sub pœna gravis culpæ per tres dies.

De erogatione eleemosynarum pro missis obtenturum.

§. 98. 7. Nullus religiosorum pro se aut aliis personis, sed tantum pro suo conventu missarum eleemosynam recipiat. Itinerantibus vero liceat pro itineris tantum expensis hoc facere dummodo ad conventum ad quem mittuntur cum majori, quam sex argenteorum debito non perveniat, et de eadem re superiorem conventus certiolem reddant sub pœna juxta gravitatem culpæ, vel excessus. Nunquam tamen pro una missa, nisi unum tantum stipendium recipiatur, neque ulla ratione dicantur missæ anticipatæ pro incertis personis, vel eleemosynis, quæ postea forte recipientur; neque pro eis applicari poterunt sub pœna suspensionis ab officio per quatuor menses iis, qui in aliquo horum deliquerint: aliaque a sacris pontificum constitutionibus ad hanc rem statuta serventur.

## CAPUT UNDECIMUM

### De hospitibus, et itinerantibus

§. 99. 1. Universi fratres apostolorum vestigia sequentes, si vires sufficientiant, pedestres incedant, non valentes id servare jumentis, vel aliis ex humilioribus animalibus utantur. Delinquentesque in hoc corrigantur, et pœ-

De hospitibus, et itinerantibus.

næ gravi per tres dies subiaceant, et priventur voce, et loco secundum qualitatem culpæ. Itinerantes in oppido, ubi sunt ordinis conventus non comedant alibi, neque hospitentur, sub pœna gravis culpæ. Qui una nocte extra conventum remanserit, officio, voce, et loco sex mensibus careat. Si vero duabus noctibus ultra prædicta in carcerem mittatur per quindecim dies. Quod si plus temporis remanserit augeatur supplicium secundum qualitatem delicti.

De receptione  
hospitum.

§. 100. 2. Statuimus, quod priores locales, aut præses nostri ordinis hospites devote, benigneque recipiant, et tam eis, quam eorum iumentis nullam necessitatem objicientes, diligenter, et cum charitate provideant, sub pœna gravis culpæ. Et cæteri religiosi erga eos fraternaliter se gerant ut moris est apud nos, eorumque communiter pedes labentur, maxime si pedestres incesserint: idemque circa religiosos aliorum ordinum, et præsertim pauperes observetur.

De delinquentibus non recipiendis.

§. 101. 3. Delinquentes qui ad nos confugerint, nullatenus recipiantur, neque pro eorum defensione, liceat religiosi nostris iudicibus, aut aliis iustitiæ ministris contentiose se opponere, sub pœna suspensionis per sex menses. Et ut nullus aditus sæcularibus pateat in nostris conventibus ministri, et famuli sæculares ( quantum possibile est) non admittantur. Existentibus vero inter nos, aut aliis quibuscumque, religiosorum cellas ingredi non permittatur, nisi gravibus, honorabilibusque personis, prior id aliquando concesserit. Sæculares non hospitentur in nostris conventibus, nisi rarissime, et pro gravi causa, et tunc nullatenus fiat in dormitoriis nostris, aut inter religiosos, aut cum nimio apparatu, qui modum nostro instituto debitum excedat.

De licentia  
obtinenda ad  
iter faciendum

§. 102. 4. Nullus iter agat sine licentia in scriptis a prælato obtenta, et in eâ omnino tempus in itinere consumendum designetur: quod nemo prætergrediatur, sub pœna reclusionis per dimidium temporis, quo excessit. Quod ut exactius, et fidelius observetur prælatus, vel præses domus diem, mensem, et annum, quo religiosus iter aggreditur non quidem numeris, sed expressis verbis cum propria subscriptione omnino in licentia subjiciat. Teneanturque cum ad domos nostras pervenerint religiosi, omnes cujuscumque conditionis sint, statim post acceptam benedictionem dimissorias literas prælatis ostendere, sub pœna gravis

culpæ ipsis vero non ostendentibus prælati, absque ulla personarum exceptione eas exquirant, et legant. Neque ullus religiosus missus ad unum oppidum audeat aliud sine licentia adire.

Similis ut supra.

§. 103. 5. Nullus ad regalem curiam, nec ad locum ab ea per unam leucam distantem, data opera accedat, nisi licentia in scriptis a patre generali obtenta, sub pœna suspensionis ab officio, vel vocis, et loci per dimidium annum. Poterit tamen provincialis illius provinciæ, in qua curia residet religiosos sibi subditos in conventum curiæ sicut in alios suæ provinciæ mittere. Caveat tamen ne ii pro negotiis in curia peragendis mittantur nisi prius consulto patre generali.

§. 104. 6. Transacto ab itinere uno die omnes religiosi tam conventuales, quam hospites choro, cæterisque communitatis observantiis intersint, nisi longo itinere fatigatis plus otii prælatus indulgeat. Omnes etiam post primum diem pro intentione conventus celebrent, adstringanturque mandatis, sive præceptis omnibus positis, sive imponendis in illa domo, et in omnibus prælatis obediant, sicut cæteri conventuales. Ubi vero fuerint duo monasteria, qui hinc inde accedant statim ut ipsi conventuales omnibus præceptis obedire teneantur: primo autem die pro conventu unde exierunt debent applicare missam.

De otio indulgendo fatigatis itinere.

§. 105. 7. Hospites, qui prælatorum munere non funguntur, statim priori conventus negotium proprium exponant, neque aliquid emanant, aut mutuo accipiant inscio priore. Quod si in aliquo conventu detineri cogantur, nullas pecunias apud se reservent, sed intra octavum diem, eas omnes in arcam trium clavium, sub pœna gravis culpæ per quinque dies, deponant. Priores vero teneantur omni cura, et fidelitate depositum servare sub pœna suspensionis ab officio.

De licentia obtinenda ad emendum, vel mutuo accipiendum.

§. 106. 8. Prælati religiosi omnibus provideant, itinerantibus de omnibus necessariis: ipsi vero maxime studeant, ut in viarum expensis, ut veri pauperes se gerant, et bonum exemplum omnibus præbeant: neque ipsi licentis ulla ratione utantur.

De exemplo paupertatis præbendo in itinere.

§. 107. 9. Si fratres itinerantes deliquerint a viciniore priore recludantur, seu corrigantur secundum qualitatem delicti. Et quia aliqui Romam confugiant, correctionem regularem fugientes (ex quo superbiores, ac elatiores contra suos prælatos evadunt)

De correctione delinquentium

ideo nullus religiosorum nostri ordinis ad Romanam curiam temere, et sine licentia superiorum secundum apostolicas, et nostras constitutiones, accedat, sub pœna apostasiæ, et privationis perpetuæ ab officiis ordinis. Quod si fuerit ex fratribus choro non deputatis per dimidium annum scapulari privetur.

De facultate patris generalis, mittendi religiosos in casibus prohibitis.

§. 108. 10. Pater generalis facultatem habeat mittendi religiosos eo quo sibi expediens videbitur nisi in casibus in nostris constitutionibus prohibitis. Provincialis vero tantum pro sua provincia, et per spatium triginta leucarum in ejus circuitu. Prioris tamen localis usque ad duodecim leucas facultas tantum extendatur. Quos omnes hortamur, ut omni studio contendant ne religiosi sine gravi necessitate itinerentur: quia nullibi, experientia testante, spiritualis eorum salus, plusquam in itinere periclitatur.

De discrimine non servando inter fratres congregationis Hispaniæ, et Lusitanæ.

§. 109. 11. Si aliquando contigat, Italiæ congregationis fratres in Hispaniam pervenire, sine ullo discrimine nisi tantum majoris gratiæ, et favore apud nos sicut cœteri fratres nostræ familiæ hospitentur, eisque officia, et obsequia omnia fratribus nostris, tam in salute, quam in infirmitate debita exhibeantur, idem servetur cum fratribus nostri Lusitanæ.

## CAPUT DUODECIMUM

*De abstinentia carniû, et de jejuniis, et comestione fratrum.*

De abstinentia carniû.

§. 110. 1. Caute admodum tam in esu carniû quam pulmentorum, cum eis coctorum procedatur. Declaramusque nomine pulmentorum non venire sanguinem, carnes tritas, et intestina: et nemini concedantur, nisi exigente infirmitate, vel debilitate sicut in regula sancitur. Si quis sine licentia, et causa carniû vescatur, aut exculenta similia a regula prohibita ab extraneis receperit, vel in cœlla servaverit, pro prima vice pœna gravi per decem dies omnino puniatur, pro secunda vero per integrum mensem in carcerem detineatur. Prælati vero qui occulte, aut horis insolitis carniû vescatur duobus mensibus ab officio suspendatur. Quod si aliquando eo relaxationis pervenerit, ut cum sæcularium scandalo comedat carnes officio statim privetur, et voce passiva per triennium, eademque pœna puniatur, si notabili parti communitatis absque necessitate illas exhibeat, aut eis vesci

permittat. Qui vero absque necessitate pulmenta cocta cum carniû notabili parti communitatis tam extra, quam intra conventum concesserit tribus mensibus ab officio suspendatur.

§. 111. 2. Ut autem esus carniû a regula prohibitus perfecte vitetur, ejusque periculo, quod extra domos nostras esse nobis constat, omnino occurratur, et scandali occasio penitus abscindatur: præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto omnibus, et singulis nostris fratribus, ne extra conventum carnes comedant, nisi licentiam a nostris prælatis habeant in scriptis, quorum conscientiam oneramus ne nimis faciles sint in hujusmodi facultatibus tribuendis, nisi propter infirmitatem, aut debilitatem, aliasve justas ob causas; alioquin subjaceant pœnæ gravibus culpis statutiæ secundum formam regulæ, et constitutionum propter infirmitatem, vel debilitatem, ut in regula habetur.

De licentia obtinenda pro esu carniû extra conventum.

§. 112. 3. Statuimus quod fratres nostri jejument, sicut regula præcipit a die exaltationis sanctæ Crucis, usque ad diem Resurrectionis. Declaramus tamen in diebus quatuor Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, et sanctæ matris nostræ Theresiæ, tum propter ordinis consuetudinem, in aliquibus, cum propter solemnem in toto orbe, et præcipue apud nos, in omnibus lætitiâ, jejuniû observari haud debere. Præterea præcipimus, ut jejuniû servetur omnibus diebus ab Ecclesia statuti, nec non in omnibus feriis sextis per annum (excipitur ea in qua incidit festum sanctissimæ Mariæ matris nostræ de monte Carmelo, Assumptionis, et s. p. nostri Eliæ) in tribus diebus rogationum ante Ascensionem Domini, et vigiliis festivitatum primæ, et secundæ classis beatæ virginis Mariæ, Corporis Christi, patris nostri Eliæ, et in die sancti Marci nisi in dominica venerit, in die parasceves comedant tantum panem, et aquam. Declaramus denique itinerantes qui pedestres incedunt juxta habere causam, ut regulæ jejuniis absolvantur.

De temporibus jejuniis.

§. 113. 4. In jejuniis ordinis, quamvis vere jejunia ecclesiastica sint, poterunt tamen priores circa esum lactiniorum ex speciali privilegio summorum pontificum, prout sibi videbitur expediens disponere in aliis vero ecclesiasticis jejuniis servetur usus, et consuetudo universalis Ecclesiæ. Præterea refectiuncula vespertina in jejuniis ordinis, ex pane, et aliquo terræ fru-

De facultatibus prioris super dispensatione circa esum lactiniorum.



ctu decocto fiet: in jejuniis autem ecclesie ex pane, et aliquo pomo, nisi necessitas pomi loco aliquid igne coctum ad arbitrium praelati tribuere postulerit. Ita tamen refectiuncula vespertina fiat, et nunquam excedatur modus et mensura jejunii, neque aliquid pro ea ministretur quod in jejuniis Ecclesie non liceret.

De hora prandii.

§. 114. 5. Hora prandii erit semper hora undecima ante meridiem, præterquam in jejuniis Ecclesie in quibus prandium erit hora undecima cum dimidio; cœna autem, seu refectiuncula vespertina fiet post completorium et conscientie examen persolutum, ita ut cœna sit ultimus communis actus, exceptis diebus in quibus cœna sumitur extra refectorium, quia tunc cœna fiet hora septima, et postea dicetur completorium hora competenti ad arbitrium praelati. In octava autem Corporis Christi servetur in hoc antiqua ordinis consuetudo.

De communi refectorio addeundo.

§. 115. 6. Decernimus præterea ut hora prandii omnes fratres legitime non impediti ad communem refectorium, ut regula statuit, conveniant, vitenturque quantum fieri possit plures mensæ. Extranei vero, et maxime sæculares raro, et caute ad refectorium admittantur. In communi mensa sacra lectio, (ut a regula decernitur) adhibeatur, ut non solum exterior homo, sed etiam interior Dei verbo pascatur. Quare præcipimus, ut post lectionem sacre Scripturæ aliqua pars nostrarum constitutionum ex iis tantum, quæ ad communes, et generales ordinis mores spectant, lingua vernacula legatur, (exceptis diebus festivis, et quando adsit aliquis extraneus) et postea aliquid ex devotis, et spiritualibus libris, et singulis sextis feriis nostra regula perlegatur, omniaque alia serventur, quæ in ordinario circa refectorii lectionem ponuntur. Quare in refectorium maximum silentium debet observari.

De vetita communi refectio-  
ne extra refectorium.

§. 116. 7. Extra refectorium non permittatur communis refectio, nisi ob aliquam justam et rationabilem causam, idque ultra viginti quatuor vices non fiat in anno. Neque aliquis sine licentia praelati extra communem mensam edat, aut bibat, sub pœna unius discipline. Hortamurque omnes praelatos ne extra communis refectio-  
nis horam aliquid edendum communitati præbeant, ut sic sobrietas religiosa servetur.

De manducationibus extra

§. 117. 8. Religiosis nostris extra domos nostras praelati nulla ratione

edere permittant, nisi apud aliorum ordinum conventus principes, praelates, aut alias honorabiles personas, quod tamen raro, matureque concedatur. Liceatque poscente id pietate, et interveniente aliqua perurgenti causa religiosos apud patrem, vel matrem, fratrem, aut sororem quatuor, vel quinque vicibus in anno manducare.

conventum  
permissis.

§. 118. 9. In refectoriis nostris æqualia fercula, æqualiaque condimenta quod numerum, qualitatem, et quantitatem omnibus tam praelatis, quam subditis ministrentur: neque aliquid adversum, vel diverse conditum alicui confertur, nisi de prioris dispensatione, sub pœna gravis culpæ, tam danti, quam recipienti, sub qua pœna idem præcipimus fratribus in secunda mensa comedentibus, ne scilicet aliis alimentis utantur, quam in prima: nec qui in ea præsidet aliquid extrordinarium alicui concedat sine licentia praelati. Præterea in communi refectorio nullatenus carnes vel earum jus pulmentave cum eis cocta, etiam religiosis infirmis, sive aliis personis ministrentur; sed locus intra refectorium sufficienter distinctus ad hoc deputetur, in quo solum sedeant, qui carnibus vescuntur, et in hoc etiam loco sæcularibus, vel religiosis alterius ordinis nullo modo carnibus vesci permittatur.

De æqualitate  
in cibis, et  
condimentis  
servanda.

§. 119. 10. Praelati de omnibus ad victum spectantibus secundum ordinis consuetudinem religiosi provideant, singulorumque necessitatibus sublevandis, veri patris officio fungentes, vigilanter incumbant, ut ipsi sui ipsorum curam, sollicitudinemque deponant. Si vero praelati incuria, aut propter conventus inopiam aliquid ex necessariis defecerit, religiosi suæ professionis memores, et Christi Domini paupertatis imitatores discant penuriam pati, praelatumque humiliter de sua necessitate admoneant, quod si non se emendaverit, poterunt id provinciali denunciare. Si vero praelatus convictus fuerit; subditis necessaria denegare, juxta gravitatem delicti omnino puniatur.

De consuetudine servanda  
in spectantibus  
ad victum.

§. 120. 11. In refectoriis nostris mappæ non apponantur. Et ut humilitas in omnibus servetur utantur gravioribus vasis tam in mensis, quam pro portandis ferculis: attendantque praelati ut munditie, et compositioni religiosæ in refectoriis nostris maxime invigilent, ita ut omnia devotionem, decentiam, et ornatum juxta statum nostrum, redoleant. Quod ut aptius fiat, omnes in refectoriis cochleare, et

De humilitate  
servanda in re-  
fectoriis.

fornucula ad tenendos cibos ligneis utantur.

De mortificationibus ordinariis, et extraordinariis frequentandis.

§. 121. 12. Hortamur vero tam prælatos, quam subditos, ut mortificationes inter nos ab initio ordinis in refectorio assuetas tam ordinarias, quam extraordinarias studeant frequentari: præcipue prælati in hoc, sicut in aliis se cæteris præbeant exemplum.

De frugalitate servanda etiam in solemnitatibus.

§. 122. 13. Tam in professionibus, quam in primis missis celebrandis, et solemnibus diebus frugalitas religiosa servetur: omninoque, quantum fieri possit sæculares ad refectoria non admittantur. Et circa communem refectioem, ac præcipue in ejus quantitate maxima uniformitas in totius ordinis, et omnium provinciarum conventibus omni tempore servetur; neque prælati hoc quantum ad communitatem mutare possint, neque ullam varietatem, aut novitatem permittant.

De confessione culparum post coenam faciendâ.

§. 123. 14. Finita cœna sive vespertina refectiuncula surgat ostiarius, et illa die acceptas eleemosynas in refectorio referat. Omnibus præterea diebus, exceptis solemnioribus, zelator lævissimorum culpas præsentanti coram omnibus referat, vel ipsi fratres de suis culpis se accusent, et si præses, aliquid adverterit, cum charitate corrigat. Accusatus vero a zelatore continuo se in terram prosternat, et nulla proposita excusatione inde non surgat, nisi signo facto a præses, qui breviter accusatos corripiat, et pœnitentiam secundum exigentiam injungat. Statuimusque ut in refectorio culpæ non dicantur nisi coram prælato, vicario superiore vel præses conventus, quibus absentibus omnino culpæ omittantur.

De fractis vasculis suspensis collo afferendis in refectorio.

§. 124. 15. Fracta ab aliquo vasa suspensa collo ab eodem in refectorio portentur. Exhortamur prælatos, seu præses nostrorum conventuum, ut laudabilem consuetudinem conferendi religiosis disciplinas etiam pro lævibus culpis observari curent tam in refectorio quam in capitulis.

De usu cocholæ.

§. 125. 16. Liceat demum nostri ordinis religiosi sumere extra claustra indicam potionem (vulgo dictam cocholæ) intra claustra vero eadem portione uti illi tantum possint, quibus prælati ob infirmitatem, aut debilitatem ex medici consilio prælaudatam potionem adhibendi facultatem indulgeat.

## CAPUT DECIMUMTERTIUM

*De honesta animi remissione post prandium.*

§. 126. 1. Sanctorum patrum exemplis, et quotidiana experientia edocemur, ad regularem disciplinam tuendam, non abesse, sed prodesse plurimum, quandoque fratribus honestam, et cum virtute conjunctam jucunditatem concedi, ut sic ab arctis religionis observantiis, et assidua contemplatione animum reficiant, et postea strenue et viriliter, ad assuetos redeant labores. Post prandium igitur per dimidiam horam, præterquam in hebdomada majori conveniant omnes fratres in unum locum, ubi una mutuis colloquiis (extraneis nunquam presentibus) in Domino delectentur. Vespere autem hujusmodi recreatio non habeatur a festo exaltationis sanctæ Crucis usque ad kalendas mensis junii, exceptis dominicis, et festivis diebus, in solemnitatibus primæ classis nostri ordinis, et in die angelici doctoris sancti Thomæ in quibus, et in cæteris diebus a kalendis junii usque ad sanctæ Crucis exaltationem, dictam recreationem vel in horto, vel in alio loco commodo haberi volumus per unam horam ante completorium, quod semper dicetur hora septima præter octavam corporis Christi, et dies in quibus cœna sumitur extra refectorium, quia in his servanda sunt, quæ in n. 5. capituli præcedentis stabiliuntur. Novitii vero, et professi, qui sub disciplina magistrorum sunt, seorsim ab aliis professis recreentur, nisi aliquando, et id quidem raro, superior aliter fieri mandaverit.

De honesta animi remissione post prandium.

§. 127. 2. Oportet autem confabulationes religiosorum spirituales, aut honestas esse: ideo a prælatis murratoria, detractoria, scurrilia, aut dicacia verba non solum prohibeantur, sed severe, et irremissibiliter puniantur: et quidquid nostro statui est alienum, aut minus decens in communi non permittatur, ut sunt confabulationes de genealogiis, de patriis, de factionibus, nationibus, communitatibus, et aliis similibus, quæ animi neque ædificationem, neque jucunditatem pariunt: summoque studio reiiciantur contentiones, quæstiones, quæ etiamsi de rebus honestis sint, et multo magis ludi arceantur manuales; sed omnia humiliter, sincere, et honeste tractentur, servatis tamen semper gra-

De confabulatione tanore.

vitae religiosa, et aliis circumstantiis status, temporis, loci, et personarum: et dum aliqui loquuntur ceteri taceant ut confusioni locus non detur. Transgressores vero pro prima vice puniantur poena unius disciplinae: pro secunda vero pro qualitate culpae augeatur poena, quam praelatus teneatur applicare sub poena gravis culpae per unum diem; quae omnia, ut rectius serventur, curent praelati recreationibus interesse.

De numero eorum, qui otii gratia a conventu exire poterunt.

§. 128. 3. Conventus, aut major pars illius, remissionis gratia, nunquam possit extra domum exire: si vero numerus sufficiens religiosorum ad officia communitatis maneat, minor pars otii causa extra conventum in agrum egredi possit: sed hoc semel tantum in singulis mensibus fiat, minimeque ibi pernoctabunt.

De sacris representationibus per religiosos faciendis

§. 129. 4. In quacumque solemnitate quantumvis maxima representationem tam per saeculares quam per religiosos exequendas in conventibus, aut collegiis nostris omnino interdiciamus sub poena gravis culpae: praelatis vero suspensionis ab officio per unum mensem.

## CAPUT DECIMUMQUARTUM

### De habitu nostrorum religiosorum.

De habitu religiosorum.

§. 130. 1. Habitus noster ejus sit conditionis, ut corpus decenter contegat, ac nuditatis repellat verecundiam; dicente apostolo: *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.* Sint igitur vestimenta fratrum laeae, ejusdem formae in omnibus, confecta ex rudiore sago, coloris grisei, retinentia tamen naturalem colorem absque aliqua tintura. Habitus sit strictus, latitudinem duodecim palmorum in inferiori parte per circuitum habens, et ad summum si magnitudo corporis sic postulaverit quatuordecim non excedat: a terra duobus digitis distet ad minus, ejusque manicae sint strictae, et versus manum unus palmi latitudinem habentes, ac eadem mensura in interiori tunica servetur. Brachialia vero, sive dimidiae manicae, aut vestes cum globulis nisi tantum ligneis aut ex sago non permittantur: in manicisque nullo modo eisdem globulis fratres utantur. Scapulare sit ejusdem sagi, et coloris, latitudinem unius palmi, et dimidii non excedens, uno palmo a terra distans. Capitium ejusdem materiae sit, quod strictum, et angu-

stum, et secundum consuetudinis ordinis fiat, itant tergo alius quatuor digitis a zona distet. Zona sit corii nigri, latitudinem duorum digitorum habens, quae tantum rudi fibula ossea, vel ferrea stringatur. Tunica exterior sit eodem sago, et ejusdem grisei coloris, habitu paulo strictior, ac brevior tam in manicis, quam in inferiori parte in qua sit altior habitu ad minus tribus digitis. Interior vero tunicella sit ex stamenia alba lanea absque lini aliqua mixtura, longitudine genua complectens, brevioresque aliis vestimentis manicas habeat cum apertura competenti, ut fratres possint se apte disponere ad disciplinas recipiendas. Femoralia lanea, et de licentia praelati, etiam lanea semper portentur; neque ultra quatuor digitis infra genua pretendantur. Ad emungendas vero nares panniculis nunquam sericis; sed laneis, vel exilinis, (vulgo de Algodon) aut alia humili materia, et colore honesto confectis tantum utantur. Pallium ex eodem rudi sago albi coloris angustum, et absque aliqua plicatura fiat ejusdem formae, quae semper usitata est apud nos duobus palmis, hoc est dimidia ulna a terra distans. Capitium vero ex eadem materia confectum ejusdem figurae, et magnitudinis sit, ac griseum; quod si quis aliis vestimentis, aut aliter factis induatur gravi poena per tres dies, aut majori secundum qualitatem culpae puniatur, et poenitus hujusmodi vestibus expolietur, et visitatores operam dabunt, ut ab hac vestimentorum forma recedatur nunquam.

§. 131. 2. Infirmis et debilibus priores secundum eorum indigentiam interiores alias vestes possint concedere, dum tamen sint religiosae et honestae, et ejusdem fere materiae, ac exteriores, vel alterius similis. Ejusdem qualitatis vestibus utantur tam laici, quam choro deputati, tam novitii, quam professi. Et ut novitii a professis signo patenti discernantur, aliquo nexu scapularis anterior pars ex utraque parte cum posteriori neetur. Donati vero induantur omnino tam in habitu, quam in pallio ex eodem sago griseo sine monachali caputio. Habitus autem quatuor digitis distet a terra: scapulare vero et pallium sit aliquantulum brevius.

De vestibus infirmorum, et debilibus.

§. 132. 3. Prohibemus deinde, ne quis vestibus, aut aliis rebus lineis natus, nisi pro infirmitate, et cum expressa praelatorum licentia sub poena gravis culpae. Infirmi vero propter alio-

De vestibus prohibitis.

rum ædificationem caveant ne vestimenta linea exterius appareant.

De galero concesso itinerantibus.

§. 133. 4. Præterea omnibus itinerantibus, galerus albi coloris concedatur. In quolibet conventu sit aliqua persona honesta destinata ad lavanda omnia religiosorum vestimenta, neque alicui permittatur alteri sua vestimenta abstergenda tradere.

De sandaliis, et eorum structura.

§. 134. 5. Fratres nostri omni tempore discalceati incedant, utantur tamen sandaliis confectis tantum ex canabe, vel sparto, aut ligno, ita ut superiori parte nuditas pedum appareat, et in eis ea forma servetur tam in materia, quam in aliis, quæ communi consuetudine est recepta. Nec in cruribus caligas portent, nisi ex necessitate, et cum licentia, aut itineris ratione. Pedalibus tantum pro infirmitate, et de prælatorum consensu utantur, et nemo e domo poterit cum eis ad oppidum egredi, nisi rarissime, et cum socio illos non ferente; ratione tamen itineris permittantur, dummodo id solum fiat cum prædicta necessitate, et licentia.

De lectulis religiosorum.

§. 135. 6. Idem pro lectulis utantur fratres corticibus arborum, aut tabulis cum ladicibus laneis, aut aliis cooperturis non varii coloris, sed simplicem, et naturalem retinentibus, pellesque insuper regulariter addantur, et præcipue in provinciis, ubi magis frigus viget: usumque linteorum, vel culcitrarum omnino prohibemus, nisi pro evidenti necessitate a priore concedantur, sub pœna gravis culpæ per unum diem, cervicalibusque omnes utantur laneis.

De vestibus adhibendis noctu temporis.

§. 136. 7. Cum habitus a monacho nunquam debeat separari: statuimus, ut fratres in tunica, vel scapulari longitudinalis unius palmi, et dimidii, latitudinis vero unius, et accincti omni tempore dormiant; infirmi vero minori utantur. Et ne mors eos absque suo habitu reperiat, nunquam eum debent deponere. Si quis sine scapulari dormierit, si sanus fuerit in terra commedat.

## CAPUT DECIMUMQUINTUM.

### *De silentio, et locutione fratrum.*

De silentio, et locutione fratrum.

§. 137. 1. Cum justitiæ cultus, silentium sit, omni tempore, et loco silentio debent fratres nostri studere; maxime vero dicto completorio (ut regula præcipit) usque ad primam sequentis diei, omnes silentium teneant. Quod

ut melius observetur; completorium omni tempore hora septima ante cenam, aut refectiunculam vespertinam dicatur juxta quæ in cap. 12. et 13. statuta sunt; et post sumptam cenam illico ad cellas se recipiant (nisi quis in ecclesia orationi vacare velit) neque ibi strepitum ullo modo faciant. Silentii vero tempore ea tantum, quæ minime differri possunt in cella prioris breviter tractentur. Serveturque laudabilis religionis consuetudo, hac hora tabellis mediationem aliquam denunciandi. Et silentii transgressores unam disciplinam accipient.

§. 138. 2. Præterea silentium omni tempore servetur in choro, refectorio, dormitorio, sacristia, et claustro. In cellis autem fratrum, et in meridiana quiete, sive dormitione, quilibet strepitus evitetur, et in officinis, et cæteris domi locis numquam clamorose, sed modeste, et submissa voce fratres nostri cum opus fuerit loquantur. Neque unquam in claustris seorsim vel cum sæcularibus deambulent, neque ibidem cum eis confabulentur, sed ad alia honesta, et ad id deputata loca (quæ in omnibus conventibus construi conveniens est) recedant.

De silentio servando in choro, refectorio, sacristia, et claustro.

§. 139. 3. Hortamur deinde cum apostolo, ut fratres se invicem honorent, ita tamen omnino sæculi urbanitates, et sæcularia verba, tam in salutationibus, quam in confabulationibus, et epistolis, neque inter nos, neque cum sæcularibus admisceantur. Si quis alteri convitiöse, ac minus reverenter loquatur, pro qualitate culpæ severe puniatur.

De urbanitate adhibenda inter fratres.

§. 140. 4. Nemo alterum nostri ordinis religiosum, nomine paternitatis, aut reverendissimi, etiam ipsum patrem generalem, neque doctoris, neque magistri, præsentati, aut alio titulo honorifico vocet; sed indistincte sacerdotes omnes reverentiæ nomine, et non sacerdotes charitatis titulo, sub pœna gravis culpæ appellenur: benevolentiae, atque debitæ submissionis causa prælatos, et procuratores generales, servata proportione (patrem scilicet generalem, definitores; et procuratores generales in toto ordine, provincialem in sua provincia, nec non eos qui hujusmodi officiis functi fuerint, atque actuales definitores provincie, et unumquemque priorem in suo conventu) religiosi omnes patrem nostrum appellabunt.

De titulis singulis fratribus adsignandis.

## CAPUT DECIMUMSEXTUM

*De infirmorum cura sollicite procuranda*

De cura infirmorum.

§. 141. 1. Infirmorum cura ante omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo ita eis serviatur. Magno igitur studio prælatis curandum est, ut infirmis ita necessaria ministrentur, ut nec sæculi delicias, nec consanguineorum affectum desiderent. Quo ut commodius fiat, eligatur a communitate in capitulo per secreta suffragia infirmorum minister timens Deum, diligens, ac sollicitus, charitate, et patientia præditus, qui ab omnibus aliis feriat, quando id necessitas postulaverit, huic curæ semper intendat, quique medicorum iussa exequi opportune, et cuncta alia necessaria præstare studeat.

De cura a prælatis præbenda

§. 142. 2. Prælati vero non aliter ac patres filiorum subditorum teneantur curam gerere, eisque secundum medicorum consilium de necessariis providere, neque in procuranda infirmorum salute, cæterisque ad eorum solatium necessariis unquam admittenda est paupertatis excusatio. Prælatique, si fieri potest, quotidie ægrotos visitent, et omnem humanitatem eis exhibentes, eos ad patientiam cohortentur, et ut sacramenta Ecclesiæ, suo tempore eis conferantur procurent: ne (quod absit) absque eorum sumptione infirmi aliquando decedant. Insuper studeant, ut singulis hebdomadis ad minus ægri, qui in lecto decumbunt, cælesti se sanctissimi sacramenti pabulo reficiant. Prælati, circa infirmorum curam negligentes, ita ut infirmus periculum notabile ob alicujus rei defectum incurrat, vel absque sacramento aliquo moriatur per unum annum officio careant: cæteri vero officiales arbitrio prælatorum graviter puniantur.

De decreto dato a definitorio Salamantica servando.

§. 143. 3. Præcipimusque ut decretum definitorii datum Salamantica 1771 circa valetudinaria providenda, et infirmorum curam, et consolationem omnino servetur. Ægroti vero se infirmos pauperes esse sæpe recolant, pauperumque modicis esse contentos, et necessariis sæpe carere, defectumque æquanimiter tollerare: neque eorum divites possunt omnia pro votis habere. Quare nec superflua in monasteria querant, nec de obsequio sibi impenso murmurent, aut impatienter servientes sibi contristent.

De receptione infirmorum.

§. 144. 4. In conventibus autem ubi frater aliquis undecumque sit, cæ-

perit infirmari, ibi omnino curetur, donec satis convalescat, nisi aliter per patrem generalem, vel provincialem ex rationabili causa fuerit ordinatum, sub pœna gravis culpæ per tres dies, et suspensionis ab officio per duos menses. Si vero infirmi ob paupertatem proprii monasterii, vel aliam justam causam in aliud a superiore mittantur, benigne a prælatis recipiantur, et cum charitatis studio eis de omnibus provideatur, ac cæteris conventualibus illius domus sub pœna infligenda suspensionis ab officio per duos menses. Si vero ex frequenti hospitem ægrotantium cura conventus nimis gravetur provincialis arbitrio a prædicto onere subsidio aliquo ab aliis conventibus sibi reddendo sublevetur.

§. 145. 5. Prohibemus, ne religiosi nostri in sæcularium domibus etiam parentum curentur; interveniente vero gravi necessitate, atque perurgenti, cui in religione subveniri non potest, hoc fieri licebit de licentia patris generalis. Neque etiam infirmi ad balnea pergant absque eadem licentia, sub pœna privationis vocis, et loci.

De cura in domibus non permittenda.

§. 146. 6. Caveant religiosi ne lævium indispositionum, sive ægri tudinum cura nimium solliciti sint, ne his affecti a choro, aliisque observantiis, et arctioris vitæ exercitio deterreantur, neve occasionem sumant, lineis uti indumentis, carnibus vesci, corporique sæpe, animæ sub specie necessitatis insidiant, nimium indulgere. Nam et si aliquando lævibus infirmitatibus aliqua opportuna medica remedia sint adhibenda, non tamen debent omnes, neque possunt, salva nostri instituti integritate, curari: cum fere impossibile sit inter nos, aliquem in tantæ vitæ asperitate, et nuditate aliquo corporis incommodo, aut afflictione sæpe non laborare. Quare hortamur omnes in Domino, ut viriliter suæ professionis propositum adimplere contendant. Insuper præcipimus prioribus ne aliena indumenta ad corporis neque lectuli usum cuiquam, nisi febrî, aut alia gravi indispositione laboranti, vel jam ex infirmitate convalescenti eorum arbitrio concedant. His vero qui habitualibus, lævibus tamen, indispositionibus afficiuntur, lineis rebus uti, aut carnibus vesci tantum de provincialis licentia permittatur; quam ipse mature inspecta necessitate in scriptis, et cum temporis limitatione concedat. Majori vero cura prælatis incumbendum est, ut si qui longo tempore assidua corporis in-

De contempta lævium indispositionum.

dispositione laborant; non in ægritudine per totam vitam se confirmatos facile credant; et a regulari observantia liberos existiment, sed sæpe eos moneant, et si opus fuerit, christiana charitate non prætermissa inducant, aut compellant, ut per aliquod tempus jugum regularis observantiae iterum, atque iterum ferre attentent: cum experientia compertum sit, plures de sua salute fere desperatos, simili remedio vires non solum corporis, sed etiam spiritus recuperasse.

## CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

### *De fratribus defunctis, et eorum suffragiis*

*De fratribus  
defunctis.*

§. 147. 1. Quotiescumque ex hac vita aliquis fratrum migraverit solemniter, et devote sepelliatur, et prior, vel præsidens illius conventus statim facere certiore patrem generalem, et provincialem, et priores illius provinciae, teneatur, nuntians eis domum in qua obiit, nomen, officiumque, diem obitus, patriam, et ætatem defuncti, et tempus, ac locum suæ professionis. Quod si fuerit monialis, provincialis eandem curam nuntiandi patri generali habeat. Paterque generalis nulla interposita mora, expressis omnibus dictis circumstantiis, et conditionibus ejus mortem denuntiet omnibus provinciis, ut quam primum possibile sit, suffragia pro eis ab omnibus offerantur.

*De suffragiis  
defunctorum.*

§. 148. 2. Statuimus, ut pro quolibet religioso professo in conventu in quo decesserit dicatur officium integrum defunctorum, et fiat officium sepulturæ, ut in nostro manuali habetur, et per novem primos dies ultra missam, et responsorium officii sepulturæ, et diei obitus, aliæ novem conventuales missæ pro eo cantentur cum novem aliis responsoriis, quæ ubi commode fieri possit supra sepulturam dicantur, supra quam per spatium trium dierum sit posita crux, et pannus nigri coloris supra tumulum, et in eo nostræ religionis habitus, et quilibet sacerdos illius domus, in qua decessit, aut cujus sit conventualis pro eo dicat tres missas privatas. Pro religiosis hospitibus decedentibus in conventu fient in eo omnia suffragia, sicut pro suo conventuali, sed conventus cujus est filius, omnes missas ab alio conventu pro defuncto celebratas penitus satisfaciet.

*Idem ut supra.*

§. 149. 3. In quolibet etiam conventu illius provinciae integrum defun-

ctorum officium in communi recitetur, et una missa conventualis pro eo cantetur, et a quocumque sacerdote una privata dicatur. Idem fiet in conventibus novæ foundationis. Fratres vero laici, et donati teneantur tres partes integri rosarii pro eis offerre. In aliis præterea ordinis provinciis in quolibet conventu una missa conventualis cum vespertis, et uno nocturno defunctorum persolvatur. Pro monialibus quilibet conventus ex toto ordine ad unam missam privatam cum uno nocturno defunctorum teneatur, et pariter quilibet monialium conventus pro fratribus decedentibus cujuscumque provinciae teneatur ad unam missam privatam, et insuper unum nocturnum defunctorum in communi dicere. Si religiosus missus a p. generali in eremum provinciae extraneæ, tamquam illius conventualis mori contingat in eremo, æstimandus est quoad suffragia ut filius illius provinciae, et eremi in qua vitam finivit. Similiter religiosi, qui in hospitibus monialium degunt, si ibi moriantur spectant ad domum, cujus conventualitatem retinent, ut in ea eadem pro eis suffragia, quæ aliis ipsius conventualibus debentur. Sciantque omnes, quod conventus tenentur ex justitia ad solvenda suffragia pro nostris fratribus defunctis in constitutionibus stabilita.

§. 150. 4. Item statuimus (quod præter suffragia numero secundo assignata) pro p. generali, pro definitivis generalibus, pro provincialibus, ac procuratoribus generalibus utriusque curiæ, quilibet sacerdos totius congregationis unam missam privatam, et quilibet conventus tam fratrum, quam monialium unam missam conventualem dicant; et insuper integrum defunctorum officium recitetur; pro eo vero, qui functus fuerit officio generalis, provincialis, protectoris, aut prioris præter communia cum aliis suffragia, una missa conventualis addatur: pro p. generali in toto ordine pro provinciali, et deficiente in ea provincia, ubi provincialis, aut protector extitit, et pro priore in conventu ubi tale officium exercuit. Ita videlicet, ut toties missa conventualis pro eis cum prædicta portione superaddatur, quoties in toto ordine, provincia, vel domo prælati, vel protectoris munere sancti fuerint. Circa suffragia, quæ in aliquibus casibus applicari debent pro religiosis provinciae sancti Alberti, et in illa pro religiosis Hispanis: vide cap. 16. tertiæ partis. Nunquam tamen pro religiosis

*Sequitur ut  
supra.*

nostris funus cum musica, et sermone celebretur absque licentia patris generalis, vel definitorii generalis.

Idem ut supra

§. 151. 5. Pro fratribus donatis decedentibus, si solemniter fuerint professi, idem sit iudicium, ac de aliis religiosis, si vero solum simplicibus votis adstringantur, tunc in suo conventu fiat integrum defunctorum officium, et missa sollemnis, et quilibet sacerdos dicat unam missam, et in quolibet conventu propriæ provinciæ una missa conventualis, et duæ privatæ eis applicentur: fratres autem non sacerdotes pro eis unam partem integri rosarii dicant. Pro novitiis, et his qui ex privilegio in articulo mortis professionem emittunt tantum in conventu, in quo decesserunt, officium defunctorum integrum cum missa conventuali dicatur, et omnes sacerdotes ipsius domus unam missam privatam pro eis offerant; laici vero, et donati integrum rosarium. In omnibus conventibus fratres a sæcularibus semoti, sive in cappella majori, capitulo, claustrum, vel alio decenti loco, sepellantur, monumentaque fratrum a monumentis sæcularium distinguantur. Pro cujuslibet religiosi patre, aut matre defunctis una conventualis missa applicabitur in conventu, ubi filius est conventualis, et si plures fuerint filii totidem addentur missæ.

De exequiis faciendis in obitu papæ.

§. 152. 6. Item statuimus, quod audita morte sanctissimi Domini Nostri papæ fiant in singulis conventibus exequiæ sollemnes, idemque fiat pro eminentissimo ordinis protectore, et pro rege, et regina.

De tabulis defunctorum apponendis in choro, et sacristiâ.

§. 153. 7. Ordinamus, ut in quolibet conventu in choro, sive sacristia tabula apponatur in qua religiosi omnes inter unum, et aliud generale capitulum defuncti scribantur, et assignetur dies, quo suffragia consueta eis fuerint applicata, et provinciales tempore visitationis sedule inquirant, an defunctorum integre officia fuerint persoluta, prædictamque tabulam teneantur visitare.

De missa pro benefactoribus

§. 154. 8. Singulis secundis feriis missa privata pro omnibus defunctis ordinis, nostrisque benefactoribus celebretur, atque omnino, et absque ullo stipendio pro eis applicetur: qua finita fiat processio defunctorum, ut in manuali continetur, et ubi processio commode fieri non potest, responsoria in choro canantur: dicta tamen missa nunquam omittatur: item ter in anno fiat commemoratio cum vigiliis novem le-

ctionum, et missa sollemnis pro fratribus defunctis nostri ordinis, et ter pro parentibus, consanguineis, et amicis fratrum, et pro omnibus qui in cæmeteriis nostri ordinis sepulti sunt: et ter pro patronis, familiaribus, benefactoribus, et pro illis, qui literas habuerunt nostræ confraternitatis. Primus ternarius celebretur inter octavam Epiphaniæ, et Purificationis beatæ Mariæ; secundus inter octavam Paschæ, et Ascensionis Domini; tertius inter festum sancti Michaelis, et festum omnium sanctorum. Quæ officia diligenter prælati persolvi curent sub pœna suspensionis ab officio per unum mensem.

§. 155. 9. Nullatenus in monasteriis nostri ordinis, sæcularium confraternitates admittantur; maxime illæ, quæ strepitum, vel silentii, et quietis nostræ perturbationem aliquam præferant, aut quæ ad publicas processiones ab ecclesiis nostris prodeant, vel quæ congregationes aliquas sive capitula habeant in conventibus nostris, in quibus ordinis prælati, aut alii religiosi præsideant, vel assistant, et denique quæcumque aliæ, quæ nobis distractionem, vel quid simile indecens sive statui nostro minus conveniens pariant: vel alias celebrent sollemnitates festivas, quæ magis vanitati, quam veræ, et sinceræ devotioni deserviunt. Si vero honorabilium personarum confraternitas aliqua a prædictis omnibus molestiis, conditionibusque sit libera, tunc animarum saluti, et ædificationi consulentes, de consensu definitorii (definitoriis) generalis admitti poterit. Nolumus tamen hoc statuto propriam ordinis confraternitatem, scilicet beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo excludere, etiam sine definitorii licentia, dummodo serventur ea, quæ modo retulimus.

De exclusione sæcularium confraternitatum ab ecclesiis ordinis.

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM

### *De paternali cura, et spirituali regimine prælatorum*

§. 156. 1. Cum prælati non percussores, et mercenarii, sed pastores, patres, et matres esse debeant subditorum, summa, ac maxima eorum cura esse oportet, ut oves suas non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter pascant: hoc est ut ignaros instruant, erigant lapsos, vulneratos curent, et errantes ad viam revocent veritatis, et non solum generaliter omnes, verum et singulos familiariter tractent,

De paternali cura, et spirituali regimine prælatorum.

et specialiter doceant, quod ut commodius exequi valeant, omnium religiosorum mores, conscientias, et vires cognoscere debent, cum hoc vere sit, vultum sui pecoris agnoscere. Hanc igitur curam (tam circa res temporales, quæ ad corporalem subditorum sustentationem spectant, quam circa res spirituales, eorum spirituali profectui studentes, subditorum consensu pertractando) paternale regimen vocamus, quod a prælatis omnibus summo studio præcipimus observari.

Idem ut supra

§. 157. 2. Oportet igitur ut hoc paternum regimen ab iis, qui in superiori loco præsentent perfectius exerceatur. Quare p. generalis, et definitores; quamvis non possint munus hoc ita proxime, sicut alii prælati præstare, debent tamen convenientiori modo quo possint, ovium spirituali profectui operam dare; subditos suos epistolis toti ordini missis ad propriæ professionis observantiam commoneare, aut, si opus sit, abusus, et relaxationes pullulantes intra terminos suæ respective facultatis evellere, et earum auctores deterrere.

Idem ut supra

§. 158. 3. Provinciales quasi prælati propinquiores subditorum animas veluti contractare debent, maxime in suis visitationibus, exteriori correctione non contenti, sed ad interiora, unde præcipue salus pendet ingressi. Quare uniuscujusque viam, spiritum, et profectum discernere curent, ut sic aptius unumquemque secundum donum, et gratiam quam accepit, et secundum ejus vires, et necessitatem dirigant. Potissimum vero tam in fratrum, quam in monialium visitatione uniuscujusque spiritum, orationem, virtutem, exercitia, et peculiariter propriæ mortificationis, quæ fundamentum est hujus spiritualis ædificii, nec non fructum ex frequenti communiione ad promptum examinent. Hortamurque eos, ut in suas provincias epistolas aliquando scribere curent, sicut prædictum est de definitorio generali.

De onere priorum super forma regiminis.

§. 159. 4. Hoc tamen regiminis onus prioribus tamquam immediatis patribus proxime incumbit: ipsi enim sunt, a quibus principaliter hujus regiminis forma administranda est, subditorumque salus, et profectus pendet ab ipsis de eorum salute reddenda est ratio, et subditorum sanguis, si negligenter se gesserint, exquiretur; et denique cum ipsis terribile iudicium in die Domini fiet. Igitur ut huic oneri satisfaciant primum spirituales subditorum vitam suo exemplo sustentare debent, deinde do-

ctrina perficere. Hæc autem non solum in commune subditis proponenda est, sed in particulari singulis applicanda: quod tunc recte fiet, quando uniuscujusque res omnes spirituales, ad eorum directionem spectantes tractaverint. Quare prælatis omnibus danda est opera ut semel ad minus in unoquoque mense separatim cum singulis confabulentur eorumque necessitates non solum spirituales, sed etiam temporales inquirent.

§. 160. 5. Ad majorem vero conservationem hujus reciproci amoris, et paternæ conversationis inter prælatos, et subditos: præcipimus prælatis, ut saltem una vice pro singulis mensibus suorum subditorum (ipsis ultro, et sponte petentibus) confessiones audiant, eosque sæpius ad communicationem spiritualem afficiant, et adhortentur, moneantque non semel quantum eorum profectui intersit suis prælatis Christi vicem gerentibus conscientias detegere, animæ sinus aperire, et interiora omnia nudare, cum impossibile sit secundum probatissimam, et verissimam patrum sententiam, quemquam eorum, qui sub obedientia vivunt absque spiritualis magistri ductu, ad perfectionis metam pervenire.

De amore inter prælatos, et subditos.

§. 161. 6. Et quia maxime interest, ut qui spiritualem vitam profiterentur de rebus spiritualibus tractent: ideo decernimus, ut singulis sextis feriis, vel sequenti, vel antecedenti die, tempore orationis vespertinæ in choro, aut alio ad id competenti loco ad arbitrium prælati omnibus religiosi simul congregatis aliqua spiritualis collatio habeatur per dimidiam horam; ita ut ea finita communitas in oratione usque ad complendam horam persistat. In dicta collatione prælatus, qui nunquam ab hoc actu abesse debet, vel eo præcisè impedito præses rem aliquam, omnes suo ordine circa quam propriam sententiam dicant, spiritualem proponat. Prælatus vero, quæ utiliora sunt, et quæ ad rem magis attinent, non tam subtiliter concionando, quam paternaliter conferendo, et docendo dijudicet. Collationes hæc non remisse, aut perfunctorie, sed acri, ferventique studio habeantur, et ad hoc juxabit varietas, ita ut nunc de oratione mentali, et de mediis eam consequendi, et conservandi, vel de mortificatione, et moderatione passionum, de virtutum actibus exercendis agatur: nunc de sacrificio missæ, de præparatione ad illam, de spiritu in cæremoniis, et aliis ritibus abscondito, et latente; de charitate, de hu-

De collationibus spiritualibus habendis singulis sextis feriis.



mitate, et de aliis omnibus tractetur. Ad hoc etiam valebit sanctorum, vel de quatuor novissimis exempla referre: curet vero præses ne quis prolixiori utatur oratione. Et ut omnes convenientibus loquantur, res agenda ab una in alteram collationem proponatur. Et ad hanc spirituales collationem cum aliis religiosis, seu sacerdotibus convenient omnes tam novitii, quam professi.

## SECUNDA PARS CONSTITUTIONUM

### *De peculiaribus institutis monasteriorum*

#### CAPUT PRIMUM

*De fundatione provinciarum, et monasteriorum, et de diversa eorum institutione, et ædificiorum forma.*

De nominibus  
provinciarum.

§. 162. 1. Declaramus, quod in congregatione nostra Hispana post ejus erectionem, Deo favente, novem provinciæ fundatæ sunt, et modo extant: prima sub nomine sancti patris Nostri Eliæ: secunda sub nomine Spiritus Sancti: tertia sub titulo sancti Angeli: quarta sancti patris nostri Joseph: quinta sancti Alberti apud Indos: sexta sanctæ matris nostræ Theresiæ: septima sancti patris nostri Joannis a Cruce: octava sancti Joachim, nona sanctæ Annæ.

De instituti  
ratione, et fine

§. 163. 2. Quamvis instituti nostri ratio, et finis omnibus communis esse debeat, pro diversitate tamen mediorum, diversa sunt inter nos monasteriorum instituta, varixque functiones: omnes tamen uno spiritu, et professione veluti animantur, sicut et corporis varia membra, una anima, et vita informantur.

De divisione  
monasterio-  
rum.

§. 164. 3. Quatuor igitur sunt apud nos monasteriorum genera. Primum, in quo recipiuntur, et instruuntur novitii, vel noviter professi. Secundum in quo recepti, et in virtutibus radicati, in sacrarum literarum doctrina et scientia erudiuntur. Hujusmodi sunt collegia in quibus potissimum de literarum exercitiis agitur. In tertio vero de spirituali monachorum profectu, et animarum salute est habenda ratio. Quartum genus est eremitarum, nempe eorum, qui ad tempus in eremum ad imitationem sanctorum patrum nostrorum Eliæ, et Elisei secedunt, ut spi-

ritualibus viribus resumptis ad regularem disciplinam colendam, proximorumque salutem procurandam ferventius revertantur.

§. 165. 4. Ordinamus, ut fundationes domorum deinceps non admittantur, nisi in locis ubi nostra professione, clausuraque servata congruam habeant sustentationem. (Non enim oportet ibi esse religiosos, ubi religiose vivere non possunt.) Nec deinceps religiosi in monasteriis noviter receptis commorentur, donec in eis sit competens clausura, et habitatio pro quindecim saltem religiosis, præter fratres donatos exceptis duobus, aut tribus fratribus, quibus ibidem pro directione ædificii liceat assistere, neque etiam eo perfecto alii ingrediantur donec in aliis provinciæ conventibus numerus religiosorum secundum nostras constitutiones requisitus compleatur. Et idem quantum ad competentem habitationem, et clausuram intelligi volumus de fundationibus monialium ante eorum ingressum.

De fundatione  
domorum.

§. 166. 5. Situs pro construendis conventibus extra urbes, vel oppida eligatur: cum ea loca potissimum censenda sint, ad nostræ religionis observantiam apta, et commoda. Monasteria vero non procul ab oppidis ædificentur, ut sic nostræ quieti, et proximorum saluti studeamus. Quod si locus aptus extra villam, vel civitatem non invenitur in suburbanis ædificentur, ubi longe sint a tumultu, et concursu sæcularium, vel si nec hoc fieri potest admittantur ubi donata fuerint, si ecclesiæ servitio congruere videantur.

De situ eligendo in  
construendis  
conventibus.

§. 167. 6. Et cum sumptuosæ domus, seu eorum curiosus ornatus, homines peregrinos, et professione pauperes minime deceant; statuimus ne monasteria nostra, neque etiam templa magnifica sint. Quæ ut in omnibus provinciis ad eandem formam uniformiter construantur stricte mandamus, ut ecclesiarum latitudo ad minus viginti quatuor, et ad summum viginti septem pedes habeat; (sumpta pedum mensura pro tertia parte plæ, qua communiter in Castellæ regnis utimur) juxta quam in longitudine, et latitudine servetur artis proportio. In claustris ab uno pariete in alium non minus quinquaginta quinque, nec plus sexaginta pedibus longitudo sit: latitudo vero ambitus novem aut decem pedibus mensuretur, nec permittantur desuper alia elaustra. Cellæ non sint majores undecim pedibus per quadrum, nec mi-

De magnificentia  
excludenda  
a domibus, et  
ecclesiis ordi-  
nis.

nones decem, nec altiores octo, aut novem, exceptis illis, quæ in valetudinario pro ægrotis dumtaxat construuntur; (quæ in majoribus conventibus numerum octonarium non excedant, in minoribus vero cum proportione) in quibus prædictam mensuram excedere permittimus, dummodo ultra quatuordecim aut quindecim pedes in quadrum non extendatur. Dormitorii autem transitus in latitudine habeant quinque, vel sex pedes. Inferiores domus officinæ altitudine protendantur usque ad undecimum pedem, vel duodecimum, ita ut conventus parietes, a pavimento claustrum usque ad tectum viginti duobus pedibus non sint altiores nisi alias alius ratione arctitudinis situs erigi oporteat, ne eminentioribus sæcularium ædibus pateant.

De interna  
domorum di-  
positione.

§. 168. 7. Hac igitur proportione servata, interiora domus iudicio artificum disponantur. Deinceps vero conventus non ædificentur, aut opus aliquod notabile illorum fieri incipiat nisi præcedentibus artificum nostri ordinis delineamentis, in quibus illorum forma præscribatur, quam observari omnino præcipimus, neque de ea quidquam mutetur, addatur, vel minuatur sine expressa licentia patris generalis, aut de consensu ipsius artificis, et supposita approbatione communitatis per majorem partem suffragiorum, servata tamen in omnibus hujus constitutionis mensura, sub pœna suspensionis ab officio prælati: subditis vero privationis vocis et loci per quatuor menses; iis tamen, qui vocem non habent alia pœna proportionabiliter applicetur juxta gravitatem delicti. Neque opus aliquod notabile, cujus pretium sit ultra centum aureos, alicubi inchoetur, nisi de licentia definitorii provincialis in scriptis habita, et supposito communitatis consensu. Semper conventus nostri honesta, et competenti clausura muniantur; serventurque circa monasteriorum fundationes cetera, quæ suis locis sunt definita.

## CAPUT SECUNDUM

*De receptione novitiorum, et de eorum instructione, ac professione.*

De receptione  
novitiorum.

§. 169. Quoniam ad religionis profectum plurimum refert, ut venientes ad nos maxima cum discretione recipiantur; in primis ordinamus, ut in unaquaque provincia tantum sit una domus pro novitiis instruendis. In qua si novitiorum numerus augeatur nota-

*Bull. Rom. Tom. VII.*

biliter, deputetur alia domus, ubi noviter recipiendi similiter instruuntur. Quod autem intelligi nolumus de illis provinciis, in quibus quia ex diversis regnis constant duæ pro novitiis recipiendis stabilitæ fuerint domus.

§. 170. 2. Hi conventus a provinciali in capitulo provinciali, de consensu sui definitorii in locis a sæcularium consortio separatis eligantur. Electio vero semel facta prædictorum conventuum absque graviore causa non alterabitur.

De conventibus eligendis pro receptione novitiorum.

§. 171. 3. Cum in his domibus scopus principalis sit novitiorum instructio, oportet ut omnes in eis ad hunc finem respiciant. Quare elaborandum maxime est, ut tales prælati eis præficiantur, qui prudentia, et regulari observantia præditi potissimum profectui novitiorum studeant. Inter alia vero cavere debent, ne inconsulto magistro circa novitios, aut eorum directionem aliquid disponant, aut faciant. Et præcipue ipsos magistros foveant, et suo fungi munere libere concedant, ne ab aliis despectui habeantur.

De prælati præficiendis instructioni novitiorum.

§. 172. 4. A capitulo provinciali eligatur novitiorum magister, qui spiritus fervore, scientia, et discretione, et aliis qualitatibus in nostris constitutionibus requisitis polleat, et qui suavitate, et severitate pro rerum, et personarum qualitate uti optime noscat; qui communes ordinis labores assidue possit subire; et denique qui perfectionis viam verbo, et exemplo valeat edocere. Et ut uniformitas in toto ordine servetur, statuimus, ut novitiorum instructio a religione jam tradita in omnibus debitæ executioni mandetur. Current deinde prælati pro novitiorum monasteriis sacerdotes perfectionis, et regularis observantiæ studiosos deputare, ut eorum exemplis, novitii spiritualiter ædificentur, qui nunquam cum novitiis loquantur sub pœna arbitrio prioris infligenda. Neque unquam novitii occupentur in officiis, quæ cum sæcularibus communicationem requirant.

De magistro novitiorum.

§. 173. 5. Nemo ad habitum nostrum admittatur sine provincialis licentia, et absque consensu majoris partis capituli ejus monasterii, in quo novitii educantur, et ante omnia recipiendorum spiritus probetur, an ex Deo sit; et a priore, a magistro, et ab alio seniore suæ vocationis causa, et finis, et an sit bonæ indolis, docilis, et ad sufferendos ordinis labores robustus, exploretur diligenter. Quod ut exactius fiat præcipimus, ut antequam

De admittendis ad habitum induendum.

novitii ad habitum recipiantur, per unum mensem in monasterio degant, communitatis actus, et regularem observantiam probantes, et qui in ipso omnibus præstantes dignoscantur, minime a superioribus rejici valeant, et si ita sint paupertate oppressi, ut pro debitis novitiatus expensis nil ad monasterium possint conferre.

De ætate recipiendarum.

§. 174. 6. Præterea non recipiantur qui saltem decimum septimum annum non expleverint, neque qui quadragesimum excedant: quod si quis habeat conditiones, quæ manifeste defectum ætatis suppleant; postquam de eis definitorio provinciali constet cum eo dispensare poterit adimpleto quinto decimo anno. Alterius ordinis non militaris professi non recipiantur, nisi per capitulum generale: consideratisque prius suorum ordinum privilegiis, et facto prudenti examine de causa sui trahitis, (quia non raro leviter fieri solet). Similiter non recipiantur in nostro ordine qui aliquo contagioso morbo laborant, neque etiam illi, qui semel recepti a novitiatu nostro, et cujuscumque ordinis regularis recesserunt, donec constet de causa recessus ex relatione, et peculiari informatione illius conventus in quo habitum prius habuerunt, et concurrentibus ad ejus admissionem duabus ex tribus partibus communitatis suffragiorum. Conjugati, altero conjugate in sæculo manente, et eunuchi similiter non admittantur, neque expositi, aut illegitimi, qui ex vero, et legitimo matrimonio non sunt procreati, aut quorum patrem, vel matrem constet fuisse illegittimos, nisi de licentia p. generalis, vel definitorii. Dummodo tamen inter clericos non admittantur, nisi a legitima potestate dispensationem irregularitatis prius obtinuerint. Nati autem ex damnato concubitu nullatenus admittantur.

De iis, qui choro deputantur.

§. 175. 7. Nemo ex iis, qui choro deputantur, admittantur, nisi linguam latinam sciant, ita ut possint facultatem aliquam profiteri. Laici vero per definitorium generale, concurrentibus quatuor suffragiis ex quinque, vel sex ex septem, recipi poterunt: dummodo sint spectatæ vitæ, et apti ad labores manuum, aliaque ordinis obsequia, quibus ratione suæ professionis deputantur, et quaternarium numerum non excedant pro qualibet provincia.

De decreto Sixti V. servando in receptione novitiorum.

§. 176. 8. Omnino in receptione novitiorum servetur decretum Sixti V. additis declarationibus, sive favoribus aliorum pontificum, et si qui deinceps

addantur. Quare nullus recipiatur, nisi præcedente informatione, secundum prædictam Bullam Sixti V., factisque ante receptionem juxta prædictas apostolicas easdem ordinationes informationibus, aliisque omnibus secundum eas præstitis.

§. 177. 9. Volentes autem omnia inconvenientia, quæ evenire possunt, prudenter evitare, districte præcipimus, ne ii, vel quorum parentes aliqua notantur infamia, aut descendentes ex parentibus per sanctum inquisitionis officium punitis, sive a Judæis, Saracenis, servis, hæreticis, aut alterius sectæ professoribus usque ad quartum gradum, vel ultra, si aliqua notetur infamia recipiantur. Et ut omnia prædicta serventur, antequam novitii ad habitum admittantur, quærat ab eis, an habeant aliquem defectum ex supradictis, ne postea si in aliquo deprehensi fuerint ad professionem admitti non debeant. Teneanturque prælati ante receptionem sufficientem de prædictis informationem facere sub pœna privationis, vel suspensionis ab officio secundum qualitatem suæ culpæ. Si in aliqua vero provincia, vel regione, inspectis aliis circumstantiis, opus fuerit strictiora statuta super hoc adhibere; præcipimus, ut ea superiores severis pœnis, aut censuris imponant. Et diligenter inquiretur, an novitii parentes ita sint paupertate oppressi, vel probabiliter timeatur, ne ita in posterum egeant, ut absque ejus subsidio vivere non possint, et in tali casu nequaquam recipiatur sub eadem pœna.

De notatis infamia non recipiendis.

§. 178. 10. Ut informationes novitiorum sufficienter et juridice fiant, et pontificum decreta integre adimpleantur, sequens forma servetur, et omnia hæc inquirentur, scilicet.

De informationibus novitiorum sumendis

Ut sit bonis, et honestis moribus imbutus, et non facinoribus assuetus.

Item, an commiserit aliquod delictum, furtum scilicet, homicidiumve, alia similia, circa quæ præcesserit infamia, vel facta fuerit judicialis inquisitio, vel propter illa fuerit judicialiter punitus, aut merito timeat, ne propterea in carcerem mittatur, et pœnis condignis puniatur.

Item, an liber sit ab obligatione reddendi quælibet ratiocinia, propter quæ merito timeatur, post ejus ingressum, monasterium vel ordinem molestiam ullam passurum.

Item, an sit ære alieno supra vires suas gravatus.

Item, utrum habitum velit recipere cum vero animo Deo famulandi, et non animo fugiendi aliquod ex supradictis inconvenientibus.

Item, an tam ipsi, quam ejus parentes aliqua notentur infamia.

Item, an descendat ex parentibus, avis, et proavis ( usque ad quartam generationem vel ultra, si infamia præcesserit ) qui servitutem contraxerint, vel fuerint infecti aliqua secta Judæorum, Saracenorum, hæreticorum, aut aliqua alia damnata, vel etiam fuerint propter hoc per inquisitores hæreticæ pravitatis puniti, et condemnati.

Item, an sit ex legitimis parentibus natus, et procreatus.

Item, an ejus parentes sint oppressi egestate, vel probabiliter credatur quod postea egebunt ita, ut merito timeri possit, ne in religione existens aliquam perturbationem animi patiat.

De examine  
testium.

§. 179. 11. Advertere tamen debent prælati, vel ii, qui de eorum commissione prædicta inquirunt, quod debent interrogare testes de diurna cognitione illius, de quo fit informatio, et de modo quo prædicta omnia noverat, scilicet, vel ex crebra conversatione cum illo, vel ex notorietate, aut publicitate. Debent etiam his interrogationibus alias addere, secundum jus commune requisitas, ut est ætas ipsius testis, et zelus justitiæ quo suum dictum deponit ita, ut non ratione odii, amicitiae, vel inimicitiae, vel alicujus similis suum testimonium dicat. Et tandem diligenter curent, quod testes sint habiles ad testimonium dicendum, et non impediti aliquo juris impedimento præmittendo ante omnia eorum juramentum, tamquam simpliciter necessarium in qualibet testium examinatione.

De examinato-  
ribus.

§. 180. 12. In quolibet conventu novitiorum pro prædictis informationibus examinandis, tres deputentur examinatores, scilicet, prior, et magister novitiorum, et alius ex dignioribus a provinciali designatus, qui judicent de omnibus iis requisitis, rationemque fideliter reddant capitulo conventuali, quod libere pro suo arbitrio eorum receptionem per suffragia secreta consensum præbeat, aut deneget. Oneramusque consensibus tam examinatorum, quam conventualium, ut in approbatione novitiorum, tamquam in re magni ponderis, prudentia, zeloque religionis ducantur.

De bonis no-  
vitorum.

§. 181. 13. Bona novitiorum, etiam ex eorum consensu, seu petitione a

prælati, neque in elemosynas, neque alia ratione, aut titulo ante eorum professionem distribuantur, sub pœna gravis culpæ per tres dies.

§. 182. 14. Nullius religiosorum novitius aliquod injungat, vel eos audeat corrigere. Si quis vero in illis aliquid culpabile deprehenderit, prælato, aut magistro denunciaret, vel in conventuali capitulo animadvertat.

De correctione  
novitiorum.

§. 183. 15. Novitii non ostendantur parentibus, consanguineis, vel aliis extraneis, neque cum eis loqui permittantur, nisi in aliquo casu gravi, et tunc de consilio sui magistri, et in ejus præsentia omnino fiat.

De custodia  
novitiorum.

§. 184. 16. Novitii antequam professionem emittant, tribus vicibus conventuali capitulo proponantur, ut conventuales judicium faciant de eorum vita, moribus, et an digni sint professione, et nostræ sacræ congregationis consortio. Proponantur vero pro prima, et secunda vice, quarto quoque mense; pro tertia tamen duobus mensibus ante professionem, et pro qualibet earum approbentur, vel reprobentur a majori parte capituli; æqualibus vero suffragiis concurrentibus ab ordine expellantur, et approbatio vel reprobatio a capitulo facta in libro approbationum ( qui in quolibet conventu penes magistrum novitiorum, aut in arca trium clavium servari debet ) scribatur: et reprobatione facta novitius expellatur. Omnes autem receptiones, et novitiorum approbationes per secreta suffragia fieri debent. Quod si aliquando oporteat in aliquo gravi casu, ac raro capitulo rationem non reddere de causis ob quas novitius expelli debeat; tunc ille ex approbatione provincialis verbo aut scripto tradita, et cum consensu prioris, et magistri novitiorum dimitti poterit.

De profes-  
sione novitiorum.

§. 185. 17. Facta tertia novitiorum approbatione, elapsoque novitiatu integro anno, alio non interveniente impedimento, statim præcedente licentia provincialis, ad suam professionem admittantur a priore, subpriore, vel præside conventus, vel ab alio de eorum commissione. Ad majorem vero spiritualem eorum profectum præcipimus, ut omnes professi choro deputati, quousque sacerdotis munere fungantur, sub disciplina sint magistri novitiorum: et ubi non fuerit magister, sub potestate superioris, aut alterius senioris sacerdotis a provinciali deputati. Et ubi commode fieri potest, in dormitorio separato cum suo magistro ma-

De eorum ad-  
missione post  
novitiatum.

neant sub clave. Idem volumus in laicis, et in fratribus donatis per tres annos a sua prima professione observari. Sacerdotes vero, qui post sacerdotium habitum receperint emissa professione, per duos annos sub eadem disciplina permaneant.

De testimonio professionis in libro apposito apponendo.

§. 186. 18. Decernimus, ut professione jam facta statim in libro professionum apposito testimonio professionis, sequentia verba apponantur. *Facta informatione, et approbata juxta Bullas summorum pontificum*; et ibi subscribant ipse noviter professus, prælatus, magister novitorum, et alii duo ex patribus qui professioni interfuere, ut sic testimonium prædictum, si aliquando oportuerit fidem integram faciat: prælatus vero qui neglexerit aliquid ex Bullis apostolicis pœnas in eis impositas omnino luat. Et post professionem cujuscumque, ejus informationes comburantur.

De domo in qua professi sunt conservandi.

§. 187. 19. Noviter professi in eadem domo, ubi professionem emiserunt, et cum eodem magistro converentur: et minime a provinciali sive a quovis alio prælato in alium conventum transferantur, etiamsi in aliis domibus numerus a nostris constitutionibus requisitus deficiat, sub pœna suspensionis ab officio per unum mensem. Si autem necessitas urgeat eos transferendi, provincialibus maxime elaborandum est, ut ea deducantur, ubi spiritualibus exercitiis, et magistrorum ductu fruantur, ne virtus non irrigua arescat, ac fervor spiritus cito extinguatur. Quæ ut commodius serventur statuimus, ut in quacumque provincia sit aliqua professis constituta domus, ubi hi, quos novitorum monasterium non capit, aut etiam alii, judicio etiam provincialis, sicuti in novitorum domo, instruuntur a suo magistro.

Quod professi nisi post annum a monasterio in oppidum mittantur.

§. 188. 20. Præterea nullus ante elapsam annum a sua professione, ulla ratione, sive titulo a monasterio in oppidum, sive alio, neque etiam, nisi duobus annis a sua professione elapsis, sive peractis in propriam patriam ubi conventus ordinis non est mittatur.

De correctione professis a provinciali faciendâ.

§. 189. 21. Si quis ex fratribus professis, occupationibus, sive aliis impedimentis ab exercitiis suæ professionis, et aliorum fratrum divertatur; studeant provinciales eum ad aliquam novitatus sive professorum domum reducere, ut resarcitis damnis in spiritu et oratione proficiat.

## CAPUT TERTIUM

*De receptione, et professione fratrum donatorum.*

§. 190. 1. Fratres donati cum licentia provincialis, et consensu conventus, ubi recipiuntur, ac per secreta suffragia, sicut cœteri fratres admittantur, qui sint bonis moribus instructi, honestisque parentibus (saltem pro ministerio ad quod recipiuntur) nati. Ignoti vero, et qui integra valetudine, et viribus non præstant, aut qui decimum octavum annum non adimpleverint, atque ab una domo semel expulsi, aut si ipsi sponte recesserint, non admittantur, nisi prius constet de causa sui recessus ex informatione illius conventus in quo prius habitaverunt.

De receptione fratrum donatorum.

§. 191. 2. Donati sint novitii per duos annos in quibus sexto quoque mense pro prima, et secunda vice capitulo proponantur: pro tertia vero et ultima duobus mensibus, antequam vota simplicia emittant, qui cum charitate, et diligenter in doctrina christiana, et in via mandatorum Dei, atque consiliorum ejus; in usu sacramentorum, et in aliis spiritualibus exercitiis convenienter per suum magistrum informantur: atque etiam qualiter se gerere debeant in sua vocatione, et ministerio. Et ut melius salubriusque instruantur, primis sex mensibus nulla ratione e monasteriis prodeant, et domi similiter per duos ultimos menses ante professionem maneant, usque dum habita informatione conventus, in quo tempore intermedio commorati sunt, expletoque biennio primam professionem emittant. Quæ omnia, et singula sub pœna gravis culpæ per quinque dies observari præcipimus.

De novitatu donatorum.

§. 192. 3. Cum primum aliquis donatus recipitur, antequam admittatur ad habitum fiat juridica informatio, an habeat condiciones ex pontificum decretis requisitas in religiosis, quæ servetur pro tempore suæ professionis solemnibus.

De informatione pro eis suscipienda.

§. 193. 4. Donati in primo anno in alium conventum non mittantur. Post autem duos annos prædictos simplicia vota in manibus prælati superioris, vel præsideatis, aut alterius de eorum commissione, coram communitate, nullo sæculari præsentem in hac forma emittant: *Ego N. promitto obedientiam, castitatem, paupertatem, Deo, et beatæ Mariæ de monte Carmelo, et reverendo patri nostro patri*

De admissione donatorum ad vota simplicia.

*N. generali ordinis Discalceatorum Carmelitarum, ejusque successoribus, secundum formam præscriptam in constitutionibus ejusdem ordinis. Hæc vero simplicia vota talem volumus ei obligationem inducere, ut toto tempore, quo in ordine perseveraverint trium votorum adstringantur vinculis, sicut, et alii: ita ut si ipsi ab ordine apostataverint a prædicta votorum obligatione non liberentur, teneanturque prælati eos, sicut et alios religiosos quærere, ad gremium ordinis reducere, et apostatarum supplicio punire: ipsique teneantur ad regulæ observantiam sicut cæteri religiosi. Ante hujusmodi simplicem professionem testamentum facient, quod non nisi peracta professione solemniter firmabitur. Si vero ob sua demerita ab ordine fuerint expulsi, p. generalis, si expediens ei videatur, a prædicta votorum obligatione eos possit absolvere. Expelli autem non possunt, nisi processus formetur, rationes audiant, et ipsi audiantur, ut secundum jus feratur in eos sententia. Judices autem hujus expulsionis sint prior, et clavarii conventus, qui in scriptis iudicium suum provinciali exhibeant, ut hic juxta pluralitatem suffragiorum sententiam pronunciet.*

De secunda  
donatorum  
probatione.

§. 194. 5. Fratres autem donati qui quinque annis in religione laudabiliter fuerint conservati, ad eorum devotam petitionem, cum licentia provincialis, et consensu conventus, per secreta suffragia exhibito, ad secundam approbationem admittantur, in qua per integrum annum permaneant, et in eo tribus vicibus sicut alii novitii, conventui proponantur, ut ab eo approbentur, vel reprobentur. Et ut commodius Deo vacare, et ad professionem se preparare possint, initio anni approbationis per unum mensem, in ipsius fine per duos domo non egrediantur, neque toto hoc anno mittantur ab uno conventu in alium. Quando vero mitti in alium conventum contingat, prior domus unde exeunt iudicium suæ communitatis de vita, et moribus donatorum exeuntium, per vota secreta exquirat, de quo priorem domus, ad quam tendunt certiore debita authenticitate reddat. Quod si antea in aliis fuerint commorati, ante eorum professionem ab illis conventibus, et eorum superioribus omni diligentia inquirant prælati qualiter ibi se gesserint. Neque ante solemnem pro-

fessionem suffragium, aut vocem in visitationibus ferent.

§. 195. 6. Quibus omnibus præstitis de licentia patris generalis vel definitorii professionem emittant, ex quo pallio, aut caputio albis, sicut alii religiosi induantur ex bulla ss. Benedicti XIV. et facta professione neque expelli ab ordine poterunt, neque ad alium transire sicut nec cæteri religiosi; ipsos enim vere, et proprie religiosos fuisse, et esse religio censuit, et censet; et sanctissimus dominus noster Urbanus pp. VIII. per suas literas apostolicas in forma Brevis declaravit. Quæ omnia, et singula stricte præcipimus a prælatis observari, defectusque circa prædicta severe corripiantur.

De professione  
donatorum.

§. 196. 7. Fratres donati, qui transacto sexennio non fuerint ad probationem, vel professionem solemnem admissi, in sua vocatione, et trium simplicium votorum obligatione, sicut antea, permaneant. Neque iterum ad approbationem admittantur, nisi petente definitorio provinciæ, p. generalis, vel definitorium generale licentiam præbuerit.

De fratribus  
donatis non  
admissis ad  
professionem.

§. 197. 8. Pro monialium monasteriis deinceps nullus recipiatur ad habitum donatorum, neque in earum conventibus deserviat, aut sub earum disciplina possit commorari. Neque etiam habeant in aliquo conventu donatas. Neque in hoc prælatus aliquis quantumvis superior possit dispensare.

De non reci-  
piendis pro  
monasteriis  
monialium.

§. 198. 9. Devotæ mulieres, et honestæ (quæ vulgo dicuntur beatæ) nullo modo recipiantur ad habitum nostræ religionis: nec votum simplex, aut solenne sub nostra obedientia et protectione emittant. Quod si secus fiat, recipiens puniatur pœna privationis ab officio.

De devotis mu-  
lieribus, vulgo  
beatæ, non reci-  
piendis.

## CAPUT QUARTUM

### De sacrarum literarum studiis.

#### §. I.

De collegiis ad hæc studia designandis, et de prælatis eis præficiendis.

§. 199. 1. Cum ignorantiam errorum matrem esse, et cujuslibet status ruinam, omnes agnoscant, facile apparet quanta sit sacrarum literarum studii necessitas, ne ii, qui ad sacras

De collegiis  
studiarum.

confessiones audiendas, et concionibus populum edocendum ex sua professione adstricti sunt in errores labantur.

De numero collegiorum.

§. 200. 2. Idecirco ergo statuimus, ut in qualibet provincia nostri ordinis tria sint collegia, sive studiorum domus, quarum una sit philosophiæ lectioni dicata, altera theologiæ scholasticæ, et expositivæ, tertiæque theologiæ morali, sacrisque canonibus excolendis dedita. Domus istæ, seu collegia a capitulo provinciali deputabuntur, ut in eis per præfata studia illæsa regularis disciplinæ observantia, nostris, et proximis nostris opem ad salutem feramus.

De rectoribus collegiorum.

§. 201. 3. In his tribus scientiarum maxime curandum est, ut rectores, sive priores docti, in literis versati, adeoque doctrina, et prudentia præstantes præficiantur, ut gubernationi domus, lectionibus, ac scholasticis exercitiis modum præscribere valeant, et literarum studium cum pietatis ardore et regularis observantiæ zelo concilians doctrinam in omnibus pariter, et exemplum præferant.

De designandis ad studium philosophiæ.

§. 202. 4. De triennio in triennium provincialis cum suo definitorio tempore capituli scholasticos designabit bonis moribus, salute, et ingenio præditos, qui collegium philosophiæ adire debent, ut ibi per integrum triennium philosophicis disciplinis dediti omnino degant. Nullatenusque illuc mittantur quibus aliquid ex prædictis defuerit sub pœna gravis culpæ per quinque dies. Hæc studentium designatio fiet, servato antiquitatis ordine a professione computandæ, qui nulla ratione invertetur. Definitoresque secus facientes a successoribus privatione vocis, et loci per tres menses puniantur. Si quis vero sit ætate proventus et ante religionis ingressum in philosophicis facultatibus satis instructus, poterit antiquioribus præferri, et præ aliis ad collegium mitti; immo si æquum definitorio videatur, poterit, philosophiæ curriculo omnino prætermisso, ad theologiæ collegium transferri.

De admittendis ad collegium theologiæ scholasticæ.

§. 203. 5. Transacto integro triennio, omnes qui peracto examine habiles inveniuntur ad theologiæ scholasticæ collegium pertranseant, ut per alios tres integros annos disciplinis theologis pro dicto collegio in instructione studiorum designatis operam præstent. Inde ad collegium ad addiscendam morum theologiam, et sacros canones designatum transferentur, ubi per alios tres annos integros necessario huic scientiæ pœni-

tus vacent, quò usque dictum tempus finitum valeant alio distrahi, nec in confessionibus excipiendis, aut prædicationis ministerio occupari.

De orationis assiduitate, cum studio copulanda.

§. 204. 6. Cavendum tamen est, ne scholastici orationis assiduitatem, et animi modestiam studiorum occasione prætermittant; sed ita unum alteri annectatur, ut emolumento sibi invicem esse possint; studeantque diligenter constitutiones, maxime ad vitam communem spectantes (exceptis iis quæ in hoc capite peculiariter pro collegiis adnotantur) omni cura observare.

§. 205. 7. Præter rectorem, aut priorem, et superiorem sicut in collegiis alii conventuales, tam pro communibus conventus ministeriis, quam pro confessionum, et prædicationis munere exercendo, ut scholastici studiis tantummodo vacent,

De aliis ministeriis conventuum,

## §. II.

### De disciplina regulari in collegiis servanda.

§. 206. 1. Cum præcipuus collegiorum scopus sit literarum studium, aliter in eis, quam in aliis conventibus oportet communitatis actus distribuere, ut commodior studentibus ad munus suum implendum aditus pateat. Ideoque statuimus, ut in his tribus collegiis eadem sit regularis observantia, tam communium toti ordini constitutionum, quam peculiarium, quæ pro ipsis hic designantur.

De disciplina regulari in collegiis servanda.

§. 207. 2. Oratio matutina in eis omni tempore habeatur hora quinta, eaque finita statim recitentur quatuor divini officii horæ minores; præterquam prima in vigilia Nativitatis, tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis quæ hora consueta canentur. Missa nunquam in collegiis canatur, nisi in dominicis, et festivis diebus, in solemnitatibus primæ classis nostri ordinis (excepta dedicatione ecclesiæ) in die titularis collegii, in feria quarta Circum; in triduo majoris hebdomadæ, in commemoratione solemnium defunctorum, in nocte Nativitatis Domini, matutino antea persoluto, hora duodecima missa canenda est, et singulis annis sabbathis missa solemnissimæ virginis Mariæ, quam in omnibus collegiis, sicut in aliis ordinis conventibus cani decernimus, nisi in sabbatho occurrat solemnitas, in qua alia missa cani debeat; tunc enim missam diei canere sufficiet, quia ad

De oratione matutina.

duas canendas collegia teneantur. Prandium omni tempore fiet hora undecima cum dimidia.

De recitatione  
vesperarum.

§. 208. 3. Vesperarum tempore cursus hora secunda, et extra illud secunda cum dimidia recitentur præterquam in quadragesima, in qua dicentur ante prandium. Canentur autem primæ, et secundæ vesperarum tribus primis diebus Natalis Domini, et aliis tribus Paschæ, et Pentecostes, in Epiphania, Ascensione Domini, et festo corporis Christi, in Assumptione Deiparæ, diebus sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri, et Pauli, et festivitate omnium sanctorum, nec non in commemoratione solemnissimi sanctissimæ matris nostræ Mariæ de Monte Carmelo, in diebus parentum nostrorum sancti Joseph, et ejus patrocinii, sancti Eliæ, sanctæ Theresiæ, et sancti Joannis a Cruce, ac denique in festo titularis collegii. In reliquis autem diebus primæ classis. (excepta dedicatione ecclesiæ in qua nil canitur) secundæ tantum vesperarum cum cantu fiant, et idem observetur in solemnitatibus secundæ classis si in die festo incidant. Si vero prædictæ festivitates in proprio, aut designato die non celebrentur, nec missa, nec vesperarum cani debent.

De antiphona  
beatæ Mariæ  
Virginis.

§. 209. 4. Singulis diebus canetur antiphona beatæ virginis Mariæ post completorium, sicut in aliis conventibus: item matutinum, et laudes cum cantu persolventur in nocte Nativitatis Domini, in Epiphania, in Circumcisione, in triduo majoris hebdomadæ, in primis diebus Paschæ, et Pentecostes, in Ascensione, in festo corporis Christi, in solemnitate virginis, et matris nostræ Mariæ de Monte Carmelo, in Assumptione ejusdem beatissimæ virginis, in festo sancti Bartholomæi, S. P. N. Joseph, sancti Eliæ, sanctæ matris nostræ Theresiæ, S. P. N. Joannis a Cruce, et Conceptionis beatæ virginis Mariæ, eo tempore quo pro aliis conventibus in his constitutionibus nostris canenda esse decernitur.

De oratione  
mentali.

§. 210. 5. Oratio mentalis vespertina a die sancti Hieronymi usque ad Resurrectionem habeatur hora quinta usque ad sextam; a Resurrectione autem, et deinceps a sexta usque ad septimam. Completorium a die sancti Hieronymi usque ad Resurrectionem Domini, exceptis diebus recreationis dicetur immediate post orationem, et postea per duas horas studio omnes vacabunt: finitoque studio, matutinum, et conscientiarum examen persolvent, quibus absolutis refectiunculam sument.

§. 211. 6. In diebus recreationis tempore cursus, et aliis a Resurrectione usque ad sanctum Hieronymum, finita oratione vespertina res ita disponentur, ut ultimus communitatis actus sit cæna, aut refectiuncula, exceptis diebus, quibus cæna sumitur extra refectorium, in quibus dicetur completorium post cænam, et matutinum tunc dicetur juxta provinciarum morem ad arbitrium prioris, et primi lectoris, qui diligentissime curent, ne studii tempus rebus inutilibus, ac otio insument. Studiorum exercitia incipient in collegiis a die sancti Hieronymi, et finientur in vigilia Pentecostes; quia per hoc intelligatur quod collegiales exituri sint a collegiis respectivis non transacto integro triennio.

De ultimo  
communitatis  
actu.

§. 212. 7. Tempore vacationum omnes lectores in suis respectivis collegiis permaneant, ut discipulos in aliquibus studiorum exercitiis ad arbitrium prioris quotidie exerceant; et nullatenus nisi necessitas, aut provinciarum usus aliud ad arbitrium provincialis exegerit, et de ejus licentia in alios provinciarum conventus lectores, et collegiales mittantur. Quando autem id necessum fuerit, conventus ad quem mittantur vita, et regulari collegiorum disciplina fruatur.

De tempore  
vacationum.

§. 213. 8. Collegiales e domo non exeant nisi cum rectore, vel pro literarum exercitiis, aut pro concione audienda, nec non cum otii gratia in agrum mittantur, quod duodecim vicibus intra annum fieri indulgemus, idemque in conventibus, ubi vacationum tempore degunt proportionem debitam observabitur.

De collegiali-  
bus e domo  
exeuntibus.

### §. III.

*De lectoribus, et literarum exercitiis  
in collegiis adhibendis*

§. 214. 1. Pro collegiis omnibus designentur lectores a definitorio provinciali, peracta prius coram ipso oppositione juxta formam in §. VI. hujus capituli stabilitam, qui literis, et virtutibus possint ceteros edocere, et omnibus inspectis digniores ex oppositoribus judicentur, quin unquam respectus ad collegia, aut nationes; sed ad solam condignitatem habeatur, super quod conscientias provincialis, et definitorum graviter oneramus.

De lectoribus.

§. 215. 2. Pro singulis philosophiæ collegiis unus deputetur lector, qui quotidie, exceptis diebus festis per horam cum dimidia mane, et per aliam

De eorum numero.



horam cum dimidia vespere ad gymnasium docturus discipulos accedet, ita ut primam horam matutinam in sumenda, et explicanda lectione perficiat, et per aliam dimidiam discipuli, lectore præsentem, in repetenda lectione, et dubiis proponendis, ac resolvendis exerceantur, servato in hora cum dimidia vespertina eodem ordine, eademque methodo, et occupatione.

De tempore  
lectionum si-  
gno campanæ  
nunciando:

§. 216. 3. Ad has lectiones habendas convenient lector, et discipuli ad signum campanæ, quod mane fiet hora in singulis provinciis assueta, aut priori, et lectori bene visa; vespere autem hora tertia. Curent lectores, ut tempore lectionum, et conferentiæ januæ gymnasii ita pateant, ut videri, et audiri possint ab omnibus, nec scholasticos permittant alio tunc tempore distrahi, nec de aliis, quam de studiis loqui, et si aliter fecerint, tam lector, quam discipuli a priore graviter corripiantur.

De conclusio-  
nibus defen-  
dendis.

§. 217. 4. Præter dicta literarum exercitia, conclusiones more solito in collegiis philosophiæ defendantur, quæ ab hora tertia postmeridiana usque ad sextam perdurent, eisque omnes religiosi choristæ omnino intersint. Laici autem, aut quilibet alius, qui justa de causa, et de prælati venia, eis adesse nequeat, vespertiæ orationi per integram horam in choro interesse teneantur. Theses ergo hujusmodi, sive conclusiones habeantur die dominica, aut alia ad arbitrium prioris, et lectoris semel in singulis hebdomadis Adventus, et a dominica prima post Epiphaniam usque ad infra octavam Ascensionis, exceptis hebdomadis, quinquagesimæ, quarta quadragesimæ, Palmarum, Paschatis, et in Albis. Per totum primi anni Adventum in collegiis philosophiæ omittantur conclusiones ita, ut eo anno a dominica prima post Epiphaniam incipiant haberi.

De exclusionem  
sæcularium in  
defensione con-  
clusionum.

§. 218. 5. Conclusiones, et actus publici cum interventu sæcularium nunquam apud nos defendantur; permittimus tamen, ut quatuor, aut sex religiosi aliorum ordinum, et duo aut tres personæ graves sæculares conclusionibus nostris intersint. At ad studia quotidiana artium, vel theologiæ in nostris domibus nullatenus admittantur, neque lectores, aut alii religiosi nostri in actibus publicis argumententur.

De sententiis  
amplectendis  
in quolibet stu-  
dio.

§. 219. 6. Grammatica in collegiis, vel in aliis conventibus nunquam pro sæcularibus doceatur. Studeant philosophiæ lectores, ne inutilibus, et postea

delendis opinionibus operam perdant; sed communes, et sacræ theologiæ utiliores sententias amplectantur. Quod ut aptius fiat tam in logica, quam in physica, et metaphysica, doctrinæ sancti Thomæ ita fideliter adhæreant, ut contra sancti doctoris opinionem nihil afferant, aut discipulos edoceant. Nullo modo in artium collegiis scholastici scribant, dictante lectore; sed iste discipulis præleget auctorem Thomistam juxta novam methodum studiorum jam designatam a qua nunquam recedet, curabitque in triennii decursu, quando aptius ipsi videatur, rethoricam venerabilis fratris Ludovici Granatensis discipulis addiscendam tradere, et explicare.

§. 220. 7. Pro theologiæ scholasticæ collegio tres lectores a definitorio provinciali supposita oppositione designentur, quorum non modo ingenium, ac doctrinam, sed potissimum veræ virtutis integritas spectabitur, ut cæteros ad salutem possint erudire. Horum duo theologiam scholasticam edocendum assument, tertii autem munus erit sacram Scripturam exponere, qui omnes operam dant, ut novitates fugiant, a sanctorum patrum doctrina nunquam recedant, et sanctum Thomam, tam in philosophicis, quam in theologicis, et in exponendis Scripturis omnino sequantur, et discipulos sequi procurent; sin minus officio lectorum priventur.

De lectoribus  
pro collegio  
theologiæ scho-  
lasticæ depu-  
tandis.

§. 221. 8. Duo scholasticæ theologiæ lectores summam d. Thomæ inter se discipulos docendum dividunt, eam legent, et memoriter discendam, sequendamque tradent, nec dum quoad sensum, sed etiam quoad literam, ita ut, si fieri potest, integrum angelici doctoris textum memoriæ discipuli commedent, ejusque loquendi modo, stylo, ac verbis assuefiant.

De divisione  
munerum in-  
ter lectores.

§. 222. 9. Lectori scripturæ strictè injungimus, quod sacra Tridentina synodus ad coercenda petulantia ingenia sessione quarta super hac re decernit: ne scilicet, *sua prudentiæ innixus* in rebus fidei, et moram sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem sensum patrum ipsam sacram Scripturam interpretari audeat. Quod ut exacte servet præcipimus, ut præludia biblica per enchiridionem scripturasticum N. Didaci a sancto An-

Monitum ad  
lectorem sacræ  
Scripturæ.

tonio discipulis exponat, et loca theologica Melchioris Cani eis addiscenda tradat, legat, et explicet, servatis aliis quæ in instructione studiorum eis præscribuntur.

De exercitiis  
literarum ha-  
bendis in quo-  
libet collegio.

§. 223. 10. In collegio scholastico exercitia literarum quotidiana tempore cursus, exceptis diebus festis, habeantur mane per duas horas cum quadrante hoc modo distributas; primus theologiæ lector per integram horam lectionem tradat: postea lector Scripturæ per tres horæ quadrantes suam lectionem faciet, et deinceps per dimidiam horam scholastici in datis lectionibus exercentur: cui aliquis ex lectoribus, qui conclusionibus non præest semper intersit, duobus aliis ad id inter se conveniatibus.

De pulsatione  
campanæ pro  
exercitiis lite-  
rarum incho-  
candis, vel ab-  
solvendis.

§. 224. 11. Vespere secundus theologiæ lector integram lectionis horam impleat, et postea per unam horam scholastici cum lectore conclusionum præside, inibi exercentur. Ad exercitia matutina pulsatio campanæ fiet hora in singulis provinciis assueta ad arbitrium prioris, et lectoris; vespere semper uno ante horam tertiam quadrante pulsabitur. Conclusiones habeantur singulis hebdomadis sicut de collegiis philosophiæ dictum est, incipiendo semper a dominica prima Adventus, quibus tres dicti lectores alternatim omnino præsidebunt.

De ordine, et  
forma regula-  
ria disciplinæ  
in collegio  
theologiæ mo-  
ralis.

§. 225. 12. In collegio theologiæ moralis idem ordo, et forma regularis disciplinæ, ac in cæteris collegiis omnino, et indifferenter servetur; sintque in eo, sicut in collegio scholastico, tres lectores a definitorio provinciali per oppositionem eligendi, quorum duo primi morum theologiam saniozem, juxta formam in nova studiorum methodo jam præscriptam doceant, et tertius sacris canonibus exponendis per institutiones instructione studiorum assignandas incumbat. Qui omnes doctrinam sanctorum patrum, et præcipue d. Thomæ in omnibus tradere, et opiniones probabiliores a probabilismo penitus remoti, semper sequi, et docere curabunt.

De exercitiis  
literarum, et  
conclusionibus.

§. 226. 13. Exercitia literarum, et conclusiones eadem hora, tempore, et ordine in eo habeantur, ac in collegio theologiæ scholasticæ, ita ut quod ibi faciunt duo scholasticæ lectores, hic duo theologiæ moralis lectores exequi debeant, et quod ibi lector Scripturæ, faciat hic lector canonum sub forma, et ordine in nova methodo, et instructione studiorum præscriptis. Et insu-

per in ultimo anno omnes collegiales in munere prædicationis in choro, vel in refectorio exercentur.

§. 227. 14. Lectores omnes interesse teneantur orationi mentali tam matutinae, quam vespertinae, examini conscientia, disciplina, communi mensæ, recreationi, capitulis, processioni- bus, officiis, tridui majoris hebdomadæ, Salve omnibus diebus, in quibus in obsequium beatissimæ virginis solemniter canendæ, et matutinis in festivitatibus primæ classis Domini Nostri, et beatissimæ virginis, in tribus diebus paschatum, Nativitatis, Resurrectionis, et Pentecostes, in tota octava sanctissimi corporis Christi, nec non sanctorum parentum nostrorum Eliæ, Joseph, ejusque patrocinii, Theresiæ, Joannis a Cruce, et sancti Bartholomæi; item primis, et secundis vespere dictarum festivitatum, et in omnibus diebus festivis, qui conclusionibus non præsunt vespere, et missæ conventuali. A reliquis vero communitatis oneribus (præter officia verrendi, vasa mensæ abstergendi, et humilitatis) præcise ratione suæ occupationis accusatos volumus lectores.

De onere la-  
ctorum inte-  
ressendi ora-  
tionis mentali.

§. 228. 15. Districte prohibemus ne aliquis religiosus alicui cathedræ se opponat, cujuscumque facultatis sit, aut eum regat, vel pro aliis substituat, nec suffragium in illa ferat, neque possit aliquo gradu præsentari, magistri, aut alio quocumque titulo majori, vel minori laureari, neque ulla ratione possit studiorum causa, aut horum graduum, si forte aliquem ante susceptionem habitus fuisset adeptus, aliqua exemptione, libertate, aut privilegio gaudere; sed omnes communem, ac regularem vitam in omnibus pariter sequantur, sub pœna in aliquo prædictorum deficientibus privationis vocis, et loci, et officii in perpetuum.

De exclusione  
privilegiorum  
inter religiosos.

§. 229. 16. Sub eadem pœna interdicens, ne religiosus aliquis sive prælatus absque licentia definitorii generalis, sive subditus sit, acceptare audeat extra ordinem dignitates episcopi, consultoris s. officii, aut alias quas-cumque ad instar Bullæ Alexandri VII. hac de re æditæ 7. julii 1673. Declaramus tamen in hac prohibitionem munus examinatoris synodalis non comprehendendi.

De dignitati-  
bus non ac-  
ceptandis.

## §. IV.

*De vicelectoribus, sive studentium magistris, et de collegiorum candidatis, qui vulgo Passantes dicuntur.*

De electione  
et mittere mag-  
istrorum.

§. 230. 1. Ne stabilita in collegiis literarum exercitia de facili interrumpi queant, atque studiorum profectui in eis plenius consulatur, statuimus, ut defensorium provinciale immediate post capitulum eligat, et dispoat pro singulis collegiis unum religiosum ex iis qui studiorum curriculum laudabiliter compleverunt, literis, et virtute adeo præstantem, ut alios erudiendi dignus probetur, et studentium magister esse, et dici mereatur. Magistri hujus munus præcipuum sit lectoris, aut lectorum in suo respective collegio absentias supplere, vices gerere, omniaque exequi quæ lector, aut lectores, si adessent, jure exequi tenerentur. Qui philosophiæ collegio, in quo unus tantum adest lector, præfigitur, ut ei in labore levamini sit, nec dum lectoris absentias implere teneatur, sed insuper singulis annis quatuor hebdomadariis conclusionibus præsidebit. In aliis vero collegiis, in quibus tres sunt lectores, quorum vices gerere debet, sat erit, si eorum absentias exacte, ut par est, penitus impleat. Quamdiu studentium magister lectoris vices gerit, et in hebdomada, qua conclusionibus præest, lectoris exemptionibus gaudeat, sin aliter cunctis communitatis actibus, sicut cæteri conventuales interesse teneatur.

De scholaribus candidatis  
vulgo passantibus.

§. 231. 2. Ut studiorum zelus, et sacrarum literarum amor magis magisque in diæ æmulatione plurimum se invicem exercentium augeantur, decernimus, ut ultra lectores, et magistrum studentium in quolibet ex tribus collegiis sint alii duo scholares candidati (vulgo passantes dicti) qui lectoribus, et magistro studentium auxilio, et studentibus stimulo, et exemplo esse possint, et debeant.

Idem ut supra.

§. 232. 3. In fine ergo triennii collegii moralis, p. provincialis, prior, et tres illius lectores peracto examine omnium scholasticorum inibi existentium, de illis quos scientia, et virtute præstantiores omnino digniores, et ad alios in posterum edocendos aptiores invenerint per secreta suffragia seligent, quos sic electos per iterata suffragia destinabunt duos ad moralis, duos ad theologiæ scholasticæ, duosque ad artium collegium mittendos, qui per trien-

nium in muneribus et literarum exercitiis statim designandis occupentur.

§. 233. 4. Sciant tamen quod quamvis illuc ducuntur, ut literis vacent debent tamen in omnibus absque ulla exceptione, sicut alii collegii conventuales vitam regularem servare, nisi conclusionibus præsent, vel pro lectore suppleant; tunc enim prior tempus ad hæc munera explenda conveniens eis concedet. Et licet exercitiis quotidianis assistere non teneantur; quæstiones tamen collegialibus lectas debent inter se conferre, et discutere, ut studentium dubiis respondeant, et in thæsis de more habendis arguere possint, ut decet.

Monitum ad  
electos.

§. 234. 5. Designati pro artium collegio bis singulis annis conclusionibus præsent; qui vero in collegiis theologiæ scholasticæ, et moralis degunt, semel in unoquoque anno eas defendent, et ulterius omnes quatuor summam angelici doctoris defendendam ita inter se dividunt, ut in collegio scholastico unus primam partem, alius primam secundæ, et in collegio morali, unus secundam secundæ, et alius tertiam partem semel saltem in triennio coram omnibus propugnent, modo iam instructionibus stabiliendo.

De designatis  
pro collegio  
artium.

## §. V.

*De aliis ad studentes spectantibus*

§. 235. 1. Quotannis in omnibus collegiis exactissimum de singulorum studentium profectui periculum fiat a provinciali, priore, et lectore in artium collegio, et in aliis duobus a provinciali, et priore, et tribus uniuscujusque lectoribus, qui per secreta suffragia de eorum idoneitate decernant, et si aliqui fuerint inventi, de quibus ob defectum virtutis, observantiæ, bonæ valetudinis, literarum, aut cujuscumque alterius causæ non speratur debitus in ordine profectus statim a collegio removeantur, et qui semel per secreta examinatorum suffragia fuit expulsus, nunquam in ullo ordinis collegio ad studia admittatur, nisi prius causas, ob quas examinatores ei studia denegarunt cessare sufficienter constitit.

De periculo  
faciendo a sin-  
gulis studentibus.

§. 236. 2. Dum in examine, quod fit tertio anno collegii moralis invenitur aliquis, qui quia remissius in studiis se gessit approbatione censetur indignus; si de illius profectu spes ali-

De iis, qui in-  
digni appro-  
batione reper-  
ti sunt.

qua sit; poterit cum eo dispensari, ut per alium annum in collegio degat moralis theologiæ studium prosequens, et omnibus aliorum scholasticorum exercitiis penitus adstrictus.

De admittendis ad collegia moralia.

§. 237. 3. Et quia morum scientia est valide necessaria, nec facile inveniri poterunt, qui theologiæ scholasticæ adjumento destituti, sufficienter, secure, et cum religionis laude, Ecclesiæ sacramenta fructuose administrare possint, volumus, ut ad morale collegium nullus scholastica doctrina non instructus mittatur, nisi in aliquo casu raro, et extraordinario, quando scilicet aliquis ætate proventus, prudentia præditus, alicujus scientiæ principiis instructus, et ejus idoneitate jam pridem probatus, professionem nostram emiserit; tunc enim inspecta materiæ gravitate, prædictisque omnibus optime nostis, si provincialis, et prior conventus ubi hujusmodi religiosus commoratur, aptum, et idoneum judicaverint, præmissorum informatione peracta, eam ad patrem generalem mittent, cujus omnino erit hujus negotii judicium: nec aliter quisquam ad audiendas confessiones possit a prælatis approbari.

De peccis contra exci-  
tantes officia  
secularium.

§. 238. 4. Præterea mandamus, et cum rigore præcipimus, ne religiosi sæcularium favoribus, studia, ordines, conventualitates, officia, aut quidquam aliud procurent, sub pœna inhabilitationis, et privationis eorum; quæ sæcularium favore consequi desiderant, quam constitutionem volumus a prælatis summa cura observari.

De studio, et  
corona non  
concedenda  
choro non de-  
putatis.

§. 239. 5. Fratribus vero choro non deputatis studium, aut coronam nunquam ab aliquo prælato concedatur, nec definitorium possit super hoc dispensare.

De oratione,  
et assiduitate  
literarum con-  
pulauda.

§. 240. 6. Denique ne scholastici ab orationis, et literarum assiduitate, vel minime divertant, statuimus, ut collegiales; durante studiorum curriculo, et donec theologiæ moralis studium imponant, voce careant activa in iis omnibus, quæ a collegiorum communitatibus per secreta suffragia deliberanda sunt, quin per hoc ab officio zelatoris, vel facultate advertendi in capitulas, et visitationibus maneat exclusi.

§. VI.

*De literariis oppositionibus ad lectorum lectiones præmittendis.*

§. 241. 1. Quoniam probus rectusque magistrorum delectus origo est cujuslibet status felicitatis, sicut prava eorum electio professionum omnium inevitabilis ruina, ne nos qui a malo divertere, et bonum facere tot tantisque oraculis edocemur in re hujusmodi momenti ignoranter errare, haud semel contingat, statuimus, ut nemo deinceps in nostro ordine in lectoris officium nisi prævia oppositione seu literaria exercitatione eligatur.

De forma electionis lectorum.

§. 242. 2. Omnium lectorum electiones a definitorio provinciali fieri debere decrevimus, cujus erit immediate post capitulum, conventum, ad oppositiones pro lectoribus vacantibus faciendas, et diem quo oppositores conveniant per epistolam encyclicam designare.

De electionibus ab definitorio provinciali faciendis.

§. 243. 3. Oppositiones ergo hac ratione fient. Statuto die definitorium ex summa theologica d. Thomæ tot seliget quæstiones; quot sint oppositores, quæ in totidem schedulis scriptæ, et plicatæ in quoddam vas aut urnam mittantur. Rebus sic paratis, vocatus accedet unus ex oppositoribus, qui ex vase schedulam extrahet, eamque aperiendam, et legendam tradet definitoribus, a quibus quæstionem sorte sibi obtentam agnoscens, elapsis viginti quatuor horis eam coram definitorio (invocato prius Dei nomine, sed inutilibus præfationibus, et ambagibus prætermittis) exponet, distribuet, et probabit per dimidiæ horæ spatium. Lectione finita duo competitores a definitorio designati contra quemlibet ex articulis propositæ quæstionis argumentum, singuli per dimidiam horam tantum proponent, cui ipse intra idem temporis spatium pro modulo suo satisfaciet. Quod idem a cæteris fiet oppositoribus.

De modo faciendi oppositiones.

§. 244. 4. His peractis exercitiis seorsim coram definitorio singuli oppositorum examen subibunt, in quo unusquisque per unam horam interrogationibus, et dubiis (circa omnes materias, quæ in collegiis nostris versantur) ab examinatore propositis satisfaciant. Quibus expletis, qui præ cæteris digniores, inspectis omnibus coram Deo judicantur, eligantur in lectores, et per collegia distribuantur ad arbitrium, et judicium definitorii. Semel in lectorem

De examine subeundo.

electus nova non indiget oppositione , ut ad idem munus in alia facultate exercendum a defensorio destinetur.

De novis electionibus.

§. 245. 5. Si intra triennium aliquis ex lectoribus defecerit , eligetur alius a defensorio ex iis , qui in ultimis oppositionibus meliorem censuram meruit , et dignior aestimatur.

De jure magistrorum , et candidatorum interessendi oppositionibus

§. 246. 6. Declaramus , quod omnes magistri studentium , et scholares candidati actuales ( vulgo passantes ) jus habeant , ut oppositionibus intersint , et qui his officiis functi jam fuere admitti poterunt ad arbitrium defensorii. Si autem aliquis , qui studiorum curriculum laudabiliter perfecit , quamvis , nec magister studentium , nec candidatus extiterit ad oppositiones accedere prætetndat , poterit etiam a defensorio admitti.

## CAPUT QUINTUM

### De lectione casuum conscientiae

De electione casuum conscientiae.

§. 247. 1. Jam pridem juxta concilii Tridentini , et sanctorum pontificum decreta in conventibus nostris habita est conferentia moralis , seu lectio casuum conscientiae ; ut autem hæc laudabilis praxis , et formandis confessoribus valde necessaria in dies augeatur , magisque perficiatur , statuimus ut defensorium provinciale nominet , et designet ad singulos suæ provinciae conventus , exceptis collegio morali , et eremo , unum religiosum prudentem , et in morum scientia versatum , qui moralibus conferentiis præsit , dubia inibi occurrentia explicet , et juxta sanctorum patrum , præcipue d. Thomæ mentem , et saniores probabilioresque resolvat. In collegio autem theologiæ moralis unus ex lectoribus alternatim qualibet septimana extra cursus tempus huic conferentiæ eodem modo adstantibus omnibus tam scholasticis , quam conventualibus præerit.

De conferentiis habendis.

§. 248. 2. Conferentiæ hujusmodi habeantur per horam , et dimidiam semel in hebdomada , exceptis hebdomada majori , nativitatibus Domini , et Epiphaniæ , Resurrectionis , et Pentecostes , et in duabus quas complectitur octava sanctissimi corporis Christi. Huic conferentiæ interesse debent omnes religiosi choristæ , etiamsi prælati superiores antea fuerint , super quod prælatus magnam curam habeat.

De materia conferentiarum.

§. 249. 3. Materia conferentiæ erit unus casus practicus talibus circumstantiis instructus , ut pro ejus resolu-

tione necesse sit plures morum controversias in trutinam adducere , et varias doctrinas in memoriam revocare. Ne autem hoc perfunctorie exequatur p. provincialis in initio officii collectionem casuum conscientiae , vel per se , vel per alium faciet , quos semper per omnes provinciae conventus singulis annis distribuet , ut de illis , et in visitationibus peculiarem de hoc rationem exquirat. Teneaturque præsidens , aut lector casuum per aliquot ante disceptationem dies casum examinandum publico in loco scriptum appendere , ut ab omnibus videatur.

§. 250. 4. Præsidens ergo statuto die casum propositum per dimidiam horam explicabit , et resolvet doctrina auctorum , qui jam in nova methodo designati sunt , quin unquam a s. Thomæ mente recedat , et per aliam horam difficultatibus , quas religiosi contra ejus resolutionem suo ordine proponunt , curabit breviter satisfacere.

De explicatio-  
na , et resolu-  
tione casuum ,

§. 251. 5. Præter dicta tenetur lector casuum lectiones ab ipso in singulis conferentiis habitas cum difficultatibus propositis , et resolutionibus scribere , et provinciali tempore visitationis eas exhibere , et regulariter ei cura bibliothecæ commendabitur.

De exhibitione  
resolutionum  
provinciali fa-  
cienda.

§. 252. 6. Quod ut aptius implere possit , eum exemptum esse volumus ab actibus communitatis præter capitulam conventuale , orationem matutinam , et vespertinam , vespas , et completorium , examina conscientiae , disciplinam , communem mensam , matutina primæ , et secundæ classis Ecclesiæ , vel religionis , missam majorem diebus festis cum hora , quæ antecedit , et subsequitur ; et missam beatissimæ virginis singulis anni sabbathis ; Salve , et responsorii pro defunctis. Item exemptum eum volumus ab officiis tabulæ , præter officia verrendi , fricandi , et humilitatis : erit tamen cappellanus beatissimæ virginis Mariæ sicut cæteri conventuales ; et si , dum actibus communitatis interest , deficit aliquis officialis , pro eo juxta ordinem suæ antiquitatis supplere teneatur. Exemptus erit pariter ab examine confessorum , et prædicatorum per tempus sui officii , et si novem annos in eo complexit , exemptio erit perpetua , et in omnibus aliis sicut cæteri conventuales , prælati dispositioni continuo subiaceat : idemque intelligatur de prædicatoribus. Eadem examinum exemptione gaudeant lectores philosophiæ , aut theologiæ ,

De exemptio-  
nibus concessis  
custodi bibli-  
othecæ.

Scripturæ, et canonum, qui per tres annos sua officia obierunt, et prædicatores, qui cum assignatione per decem annos munus suum laudabiliter exercuerunt.

## CAPUT SEXTUM

### *De communi bibliotheca, et librorum custodia*

De communi  
bibliotheca.

§. 253. 1. In omnibus nostri ordinis domibus sit bibliotheca communis, in qua libri omnes reponantur, et prælector casuum conscientie ejus curam tamquam bibliothecarius regulariter habeat. In collegio autem morali magister studentium bibliothecarius sit; et in eremo religiosus a prior designatus, qui eam diligenter administret, et libros secundum eorum diversas facultates disponat, obseratamque custodiat, faciatque inventarium de omnibus libris, quod semper in bibliotheca servetur.

De extractione  
librorum.

§. 254. 2. Omnibus religiosis de hac communi bibliotheca sufficienter provideatur; liberumque sit unicuique, cum facultate superioris, sciente id bibliothecario, et notatis in peculiari libro nominibus auctoris, et religiosi extrahentis, libros ab ea extrahere. Quod si quis studii causa bibliothecam intret, silentium omnino servet, neque cum alio ibi loquatur.

De libris, in  
librorum officina  
servandis.

§. 255. 3. Studeant prælati, ut in librorum officina omnes libri necessarii, tam ad religiosorum profectum, quam ad proximorum salutem repariantur: potissimum vero devoti, et spirituales libri, et tam isti, quam ceteri conserventur, in diesque augeantur; et emanent omnes libri auctorum gravium, qui denuo in lucem prodierint, inutiles vero commutentur, aut vendantur cum consensu communitatis, et licentia provincialis, et expressione librorum, qui commutantur, aut venduntur, quorum pretium in alios libros utiliores convertatur. Quare statuimus ne prælatus, etiam de sui capitulo, et provincialis, consensu possit librum aliquem donare, vel alienare sub gravi culpa: liceat tamen illi eos commodare religiosis nostræ congregationis, et tunc libri, et hi quibus commutati sunt, scribantur.

De prohibita  
extractione,  
vel alienatione  
librorum.

§. 256. 4. Et ut omnia strictius serventur, et libri in dies conserventur, et augeantur: præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientie, et sub præcepto, ne quis etiam

prælatus quantumvis superior suum faciat, det, commodet, a conventu extrahat, neque in alium transferat, vel quoquomodo librum aliquem, sive codicem manuscriptum ex iis, qui conventui, aut ejus communi bibliothecæ deputati sunt, alienet, nisi servatis supradictis conditionibus. Insuper ut id ex omni parte firmatum maneat, attendendum est circa hoc decretum felicis recordationis sanctissimi Domini Nostri papæ Urbani VIII. ne de cætero quivis nostræ congregationis religiosus, quavis auctoritate fungens illi contra ire præsumat.

§. 257. 5. Permittimus religiosos nostros in suum usum habere, et de uno in alium conventum secum ferre eos libros, quos cum licentia prælati propria industria, aut gratiosa consanguineorum, aut benefactorum donatione adquisierunt. Quin per hoc intelligant, aliquod ipsis eorum dominium conferri, sed purum tantum usum a prælatorum voluntate omnino dependentem; ac proinde sciant oportet, ut eos omnes, aut eorum aliquos quorum usum habent commodatos aliis conventus religiosis, prælato ita disponente, tradere teneantur, quin eis nullatenus liceat, sub proprietatis pœna, illos aliter mutuare, vendere, aut quovis alio modo alienare. Decernimus denique, et declaramus, quod libri a religioso, dicto modo, acquisiti, et in usum habiti, ad conventum, in quo cum e vita decessit, erat conventualis, spectant nisi ipse dum viveret, cum licentia generalis, vel provincialis, eos aliis conventibus cum annotatione in eis scripta applicuerit.

De usu librorum  
religiosis  
concedendo.

§. 258. 6. Nemini liceat exceptorios codices sine licentia provincialis, per se, vel per alium transcribere, aut transcriptos emere, neque prælati, aut novitiorum magistri, nec quicumque alius, religiosos, etiam novitios in his transcribendis occupent.

De vetita transcrip-  
tionem librorum.

## CAPUT SEPTIMUM

### *De ordinibus recipiendis*

§. 259. 1. Nemini religiosorum nisi post annum, et dimidium a sua professione diaconatus, aut subdiaconatus ordines conferantur, neque tribus post professionem emissam annis non elapsis ad sacerdotium aliquis promoveatur, nisi in aliquo casu particulari, pater generalis, aut ejus definitorium aliud super his expedire judi-

De ordinibus  
recipiendis.

caverint: neque antequam sacerdotii munere fungatur, habeat votum in capitulo conventuali, nisi in illis monasteriis, ubi non fuerint quinque capitulares. Nam tunc ex fratribus sacris ordinibus initialis numerus debet suppleri: ita ut præferatur diaconus subdiacono, et in eodem ordine antiquior professione. Si vero qui tempore susceptionis habitus sacerdotio jam fangebantur non admittantur ad capituli suffragia nisi duobus annis transactis a sua professione.

De examine ordinandorum

§. 260. 2. Religiosi ad ordines promovendi a prælato, et duobus aliis a provinciali designatis de scientia examinentur, et ab eis per secreta suffragia approbentur, vel reprobentur, et eodem modo capitulum iudicium ferat de moribus, et vita ordinandorum; nec prælati literas dimissorias ad suscipiendos ordines religiosi concedant, antequam constet eis sufficienter de illorum ætate, et capituli approbatione.

De episcopo ad eundem ad ordines recipiendos.

§. 261. 3. Religiosi pro suscipiendis ordinibus ad episcopos diocesis illius monasterii tantum accedant. Illo vero ordines non conferente, liceat alteram adire diocesim, dummodo locus ubi ordines conferuntur non distet plusquam viginti quatuor leucis a suo conventu sub pœna gravis culpæ per quinque dies eunti, et mittenti, et servetur constitutio Benedicti XIV. quæ incipit *Impositi Nobis* diei 27 februarii 1747.

De ordinatis ad sacerdotium

§. 262. 4. Ad sacerdotium promoti nulla ratione celebrent, antequam in missæ cæremoniis iudicio prælati, et aliorum duorum religiosorum, a quibus examinari debent, sint sufficienter instructi, et prius spiritualibus exercitiis per decem dies operam dabunt, ut convenienter sacrosancto ministerio se præparent: neque extra domum nostram prima missæ cantetur. In die solemnitatis primæ missæ omnia modeste, et religiose fiant: excessusque, tam in mensa, quam in aliis apparatus evitentur.

## CAPUT OCTAVUM

### De confessariis

De confessariis

§. 263. 1. In eligendis sacramenti pœnitentiæ ministris, utpote in re tam gravi magnus delectus habeatur; neque ad id munus admittantur, nisi qui una cum doctrina, morum gravitatem, vitæque integritatem conjunxerint. Quæ ut rectius serventur, provincialis, simul

cum priore conventus, et alio ex dignioribus religiosi examinata earum sufficientia eos per secreta suffragia approbent, vel reprobent.

§. 264. 2. Omnes confessarii tam religiosorum, quam sæcularium, licentiam habeant in scriptis, a suo provinciali. Pro sæcularibus vero etiam a locorum ordinariis facultatem obtineant, et ne obtenta hujusmodi licentia in studiis remissius se gerant, singulis tribus annis ab eisdem examinatorebus de eorum sufficientia periculum fiat, et per secreta suffragia de eorum idoneitate, et sufficientia iudicium ferant: nisi alias sint, aut fuerint priores, aut theologiæ, canonum, Scripturæ, vel artium lectores, aut conferentiarum præses, aut prædicatores modo supradicto, vel prælatorum munere fungantur, aut functi sunt. Hoc igitur examen fiat a prælato secunda vice suæ visitationis. Quinquagenariis minores sua inscitia, vel desidia facultate sæcularium confessiones ultra duos menses in proprio domicilio deinceps carentes, communia tabulæ officia pluries subibunt, voceque in capituli deliberationibus erunt destituti.

De licentia obtinenda ad confessiones audiendas.

§. 265. 3. Nemo ab ordinariis confitendi licentias, aut earum extensionem obtinere, aut procurare præsumat absque interventu, et consensu prælati, et nisi prius pro quacumque vice examinatus, et approbatus fuerit intra ordinem; quod ut commodius fiat, provincialis in prima visitatione tres designabit pro singulis conventibus examinatores, sine quorum prævio examine, et approbatione nullus illius conventus religiosus dominis episcopis præsentare se audeat, ut pro audiendis confessionibus licentias, aut earum extensionem ab eis obtineat.

Idem ut supra

§. 266. 4. Nullus nostrorum fratrum confessiones cujuscumque instituti monialium audire possit, qui quadraginta annis non complevit: neque mulierum sæcularium confessiones valeat excipere quamvis sit, aut fuerit superior, qui triginta tres annos attigerit, nisi pro aliquo casu particulari, et necessario cum aliquo defunitorio generali videatur dispensari debere.

De confessionibus monialium non audiendis.

§. 267. 5. Habita facultate administrandi pœnitentiæ sacramentum in una provincia, in omnibus aliis poterit quisque confessiones religiosorum audire, non vero monialium, nisi præter ea, quæ de jure requiruntur a proprio earum provinciali peculiarem ad hoc obtineat facultatem. Exponendi vero

De effectu licentia ad audiendas s. confessiones.

pro monialium, aut aliarum mulierum sæcularium confessionibus audiendis, quamvis ad ætatem ad id requisitam pervenerint, et alias generali confitendi facultate, sine discriminatione gaudeant, specialem tamen pro fœminis, et monialibus obtineant; alioquin earum confessiones audire nullatenus valebunt.

Declaratio specialis quoad sacerdotes ordinis.

§. 268. 6. Innitentes tam juri communi, nostrisque statutis, atque antiquæ consuetudini, quam pontificum privilegiis, declaramus sacerdotes simplices nostræ religionis (illos videlicet, qui provincialis, vel generalis licentiam et approbationem non habent) nullam habere jurisdictionem ad audiendas confessiones fratrum etiam sacerdotum. Et si forte ratione consuetudinis esset quoad hoc aliqua tacita licentia; illam præsentis decreto annullamus, decernentes, ut a nullo prælato præter patrem generalem, et provincialem unquam licentia concedatur prævio examine jam dicto, alias sit nullius roboris, et momenti. Quod intelligi volumus, sive intra, sive extra conventum existant. (Extra conventum tamen, copia confessoris approbati proprii, et extranei deficiente, religiosos nostros sacerdoti simplici nostri ordinis confiteri posse indulgemus.) Proindeque nullus religiosus, etiam sacerdos alicubi eis aliter confiteri possit sub poena privationis vocis et loci tam confitenti, quam confessionem audienti per unum mensem infligenda. Insuper qui confessionem attentat audire, inhabilis permaneat in posterum ad confessiones audiendas.

De munere parochi absque licentia non assumendo.

§. 269. 7. Nullus frater officium parochi exequatur, vel pro eo suppleat, aut ejus vicem in aliquo gerat, absque prævia prælatorum, et parochorum licentia, et consensu sub pœna suspensionis ab officio, vel privationis vocis, et loci per unum mensem.

## CAPUT NONUM

### *De confessariis monialium*

De confessariis monialium.

§. 270. 1. Quia in monialium regimine apostolica nostra auctoritate commisso, quæcumque quantumvis maxima adhibeatur cura, ut ipsæ magis magisque Deo adhæreant, et in sancta sua professione in dies sine intermissione proficiant, nunquam superest, et quia ad perfectionem tendi vix potest absque duce probò, et sapienti, nihilque ei magis obstat quam dux cæcus, aut imprudens, qui vias Domini nesciat, aut declinet ab eis, admone-

mus patres provinciales, eorum conscientias onerantes, ut non nisi personas ætate graves, maturas, ac discretas, zelo plenas, religiosisque moribus ornatas, in monialium confessores præficiant. Quod ut plenius compleatur operæ pretium duximus, sequentes statuere regulas inviolabiliter observandas.

§. 271. 2. Nemo religiosorum in confessarium, vel extraordinarium conventuum monialium designetur, qui sive prælatus, sive subditus sit, ætatem quadraginta annorum præter cœteras qualitates, et exercitia literaria in prioribus requisitas non habeat.

De requisitis confessarium monialium

§. 272. 3. In confessariis ordinariis monialium pro locis ubi non est religiosorum conventus, ultra prædictas qualitates requiritur ætas quadraginta quinque annorum.

Idem ut supra

§. 273. 4. Utque hoc exactius fiat definitorium provinciale catalogum religiosorum, quos ad dictum monasterium aptiores judicet, efformabit, quem p. provinciali tradet, ut ex eo monialium conventus de confessariis ordinariis provideat, et suo arbitrio distribuat.

Idem ut supra

§. 274. 5. Provincialis singulis monialium conventibus designet ex nostris religiosis duos ad minus confessores ordinarios, qui earum confessiones audiant omnibus diebus, aut vesperis communionis, et quoties a prælato requirantur, et insuper alios duos ordinis confessarios extraordinarios, qui in tribus paschatibus ad audiendas earum confessiones accedant.

Idem ut supra

§. 275. 6. Præter dictos ordinis confessarios ordinarios, et extraordinarios designet provincialis singulis monialium conventibus unum, aut plures confessarios extra ordinem de clero sæculari, aut regulari, qui semel saltem in anno ad eas alloquendas, et earum confessiones audiendas accedant, quibus omnes moniales se sistere, et cum eis alloqui teneantur, libereque suas eis conscientias (si velint) aperiant, per tempus ad id necessarium, in quo confessarii ordinis illuc non accedent, cœteraque ad literam serventur, quæ circa hoc præscribitur in constitutione Benedicti XIV. *Pastoralis curæ* 2 februarii 1748. Et provinciales omni cura invigilent, ne in hac parte monialium libertas, verbo, aut opere, directe, vel indirecte per sorores, aut fratres, sive alia quacumque via, vel minime lædatur.

Idem ut supra

§. 276. 7. Insuper ultra prof. os confessarios ordinarios, et extraordina-

De personis gravibus extra ordinem depu-



audis in idem  
officium.

rios religionis, et ultra designandos ex extraneis ad instar constitutionis *Pastoralis curæ*, provincialis in unoquoque oppido ubi monialium est conventus, duas ad minus præfiant personas graves extra ordinem ab ordinario ad monialium audiendas confessiones approbatas, quarum saltem una (si servatis prædictis qualitatibus opportune fieri potest) sit de clero sæculari, cum quibus omnes illius oppidi religiosæ, quando, et quoties ipsis placuerit, possint libere suas conscientias sine limitatione tractare, et aperire, quin prælata resistere queat, nec ob id molestiam ullam eis conferre. De quo provinciales in visitationibus specialem inquisitionem facient, et transgressiones, tam in monialibus, quam in fratribus deprehensas omni severitate corripient.

De aliis con-  
fessoris con-  
suetudinis ad  
postulationem  
monialium.

§. 277. 8. Si non obstantibus prædictis petierit adhuc monialis alium confessorem ex conventu ordinis, qui est in oppido, vel ex viciniore, si non adest ibi conventus religiosorum concedi illi poterit ad arbitrium prælatæ, et si petierit etiam extraneum extraordinarium, nec ei denegabitur cum notitia prælatæ, et cum licentiâ provincialis, qui convenientibus circumstantiis ad formam citatæ constitutionis Benedicti XIV., quæ incipit *Pastoralis curæ*, liberaliter eam concedet. Hæcque libertas, quam sanctam matrem nostram Theresiam filiabus suis quasi in hæreditatem reliquisse, et sacrosancti concilii Tridentini, summorum pontificum decretis optime congruere novimus, integra semper, illæsaque servabitur, qua nunquam religiosas contra sanctæ matris mentem abusuras esse absque hæsitatione speramus.

De emigratio-  
nibus, et pere-  
grinationibus  
religiosorum.

§. 278. 9. Emigrationes, et peregrinationes religiosorum de uno in alium oppidum, etiam prælatorum, prætextu directionis, et confessionis monialium præter casum gravis infirmitatis, vel periculi mortis religiosarum omnino prohibemus, sicut etiam frequentes communicationes reciprocas per epistolas inter directorem, et directam, quia eorum, et earum observantiæ, et quieti maxime nocent.

De refectione  
confessorum  
monialium.

§. 279. 10. In oppidis ubi adest conventus monialium, sed non religiosorum confessarii ordinarii, et præses hospitii ultra tres annos non permanent, nec ad idem officium pro eadem domo reeligantur tribus integris annis non transactis, super quod nullus ordinis prælatus valeat dispensare.

Declarationes  
speciales.

§. 280. 11. Nullus ex nostris religiosus præter ea, quæ de jure requiruntur, monialium ordinis confessiones sine speciali designatione provincialis ad conventum, et monialem, aut moniales in scriptis exhibita audire possit; sub pœna inhabilitatis ad confessiones in posterum audiendas, et sub pœna privationis vocis et loci per duos menses. Nemini in particulari præcipue confessariis liceat munuscula ad eas mittere, aut ab eis accipere, ne spiritus ad superna anhelans rebus his detineatur, nec eas quis possit alloqui absque eadem licentiâ in scriptis tradita. In die autem quo moniales sacram communionem accipiunt, nullus religiosus etiam ex iis, qui alias licentiâ eas alloquendi habent, poterit eas alloqui, neque ad earum crates accedere nisi urgente adeo gravi necessitate, et inexcusabili, gravique negotio, quod in aliud tempus differri nequeat.

Monita saluta-  
ria.

§. 281. 12. Præterea religiosorum omnium consensibus oneramus, ut, cum opus sit, cum monialibus alloqui, et tractare, eorum conversatio magis animi modestiam, circumspersionem, morumque gravitatem, tam in sacramentorum administratione, et tradenda doctrina, quam in regimine, aut alia quacumque re agenda præseferant. Hoc enim maxime interesse tam pro nostra et illarum salute, quam pro aliorum ædificatione, experientia teste comperitum est.

§. 282. 13. Strictè etiam præcipimus religiosis omnibus, etiam prælatis ne in oppidis ubi sunt nostri ordinis monasteria, in monialium conventibus quacumque de causâ comedant, sub pœna gravis culpæ per quinque dies: si enim ibi fratrum non fuerit monasterium, si in earum hospitii forte fuerint diversati, ne graves, et onerosi illi sint, illis cibis communiter vescantur, qui earum communitati administrantur: maxime vero visitatores, provinciales, alique ordinis prælati id studeant observare. Nec ullus ex religiosis hospitibus permanebit ibi ultra tres dies nisi propter assistentiâ alicujus religiosæ graviter ægrotantis. Et si aliter fiat prælata cum rigore a provinciali corripitur. Strictiusque prohibemus, ne earum monasterii clausuram, quocumque titulo, etiam prætextu ministrandi infirmis sacramenta, aut alterius rei causa, nisi in evidenti gravi necessitate ingrediantur sub pœ-

De poenis con-  
tra comedentes  
in conventibus  
monialium.

na suspensionis ab officio praelatis, subditis vero privationis vocis et loci per sex menses infligenda. Ingressi autem recto tramite ad id tendant, cujus gratia ingrediuntur, neque alio diverfant, peractoque negotio, cujus occasione fuerint ingressi, absque ulla mora exeant statim, neque intra monasterii clausuram, confessionis, aut Eucharistiae sacramentum ministrent iis, quae ad communionis fenestram, vel confessionarii locum cum aliis possunt accedere, sub poena gravis culpae juxta qualitatem delicti applicanda quodlibet praedictorum transgredientibus. Intra conventum autem religiosi nulla ratione ab invicem separentur, sub eadem poena per quinque dies.

De officiis prae-  
hendis monia-  
libus graviter  
laborantibus.

§. 283. 14. Si vero contingat monialem aliquam ita gravi, et periculoso morbo laborare, ut in periculo mortis sit constituta; tunc maxime intra monasterii septa, religiosus liceat pernoctare: sed debita sacramentorum administratione peracta, functique pietatis officio, ad sua celeriter redeant monasteria nisi aegrotans in tali sit dispositione, ut illo pietatis officio, quod in morientes exerceri solet, egeat. Qui secus fecerit, poenae gravis culpae per tres dies subiaceat. Ea defuncta, dictoque responsorio more solito, sub eadem poena exeant statim, et ad conventum aliqua honorabili persona saeculari associati revertantur: si vero oportunitas redeundi non sit, in sacristia, vel simili alio loco, et honesto extra clausuram usque ad diem permaneant. Et ut in omnibus praedictis major cautio adhibeatur, volumus ut ultra a jure statutas poenas suprapositae etiam delinquentibus irremissibiliter applicentur. Priorissae, quae communionis fenestrelam quocumque titulo, exceptis iis, quae in earum constitutionibus declarantur, aperuerit, eadem poena suspensionis ab officio applicetur.

De confessoris  
ordinariis ho-  
spitiarum.

§. 284. 15. Decernimus quod in oppidis ubi non sunt nostri ordinis monasteria, si quae forte sint monialium conventibus juncta hospitia, eorum hostium omnino sit extra omnes januas conventus versus callem, neque in eis permittantur rotae (vulgo Jornos) quae ex aliqua parte clausuram attingant; praecipimusque provincialibus, ut hanc constitutionem sedulo executioni demendant. Confessarii ordinarii dictorum hospitiarum monialium, et eorum praeses retineant conventualitatem, quoad suffragia; conventus suae filiationis, de-

benctque pro singulis illius defunctis tres applicare missas, et unam pro quolibet defuncto provinciae.

§. 285. 16. Alterius ordinis monachas, praeter ea, quae de jure requiruntur sine licentia provincialis in scriptis nemo possit alloqui, neque earum confessiones audire, nisi alias sit definitor generalis, aut provinciae, vel sit provincialis, aut prior. Poterit tamen prior alicui licentiam praebere, ut semel, aut bis in anno ad matrem, aut sorores etiam alterius ordinis loquendi gratia accedat.

De vetita allo-  
cutione cum  
monachis alte-  
rius ordinis.

## CAPUT DECIMUM

### De officio concionatorum.

§. 286. 1. Evangelicae praedicationis munus magnam in ministris exigit probitatem, et scientiam. Quare divinum verbum praedicare nemo audeat nisi prius per tres annos philosophiae, per tres theologiae scholasticae, et expositivae, et per alios tres moralis theologiae, et canonum studio operam dederit, et a provinciali, et aliis designatis fuerit examinatus, et per secreta suffragia idoneus inventus. Oportet vero, ut antequam licentiam obtineat coram provinciali, et fratribus intra designatum sibi tempus concionem aliquam habeat, ut sic non solum de scientia, sed etiam de talento constet: maxime vero virtutis et morum testimonium habeat.

De officio con-  
cionatorum.

§. 287. 2. Concionatores nostri in suis concionibus potissimum studeant, ut auditorum mores probe informent, eosque ad divinum amorem, et timorem aliarumque virtutum functiones excitent; ab inutilibus vero rebus abstineant, et juxta summorum pontificum institutiones in omnibus concionibus tam moralibus, quam panegiricis doctrinam christianam in solutione cathedisticae, et non perfunctorie explicare conentur. Deumque praeculis habentes, ad solam ipsius gloriam, et populi salutem attendant, et qui secus fecerint si a superioribus moniti non se correxerint praedicandi, facultate priventur. Teneantur provinciales ultimo anno suae visitationis praedicatores omnes, (exceptis praelatis, aut aliis evidenter peritis) tam in scientia, quam in modo exercendi ministerium sibi injunctum examinare, et inhabiles, aut populo Dei inutiles reprobare, illos vero adjuvare, et fovere, qui non se ipsos quae-

De forma con-  
cionum.

rentes, nec in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, et virtutis prædicaverint.

De præsentatione faciendâ, licentiâ, et benedictione obtinenda.

§. 288. 3. In ecclesiis nostris nemo prædicet, antequam ordinariis, ut Tridentinum præcipit, se præsentaverit, neque in aliis, nisi benedictionem simul, et licentiam prius acceperit, sub pœna privationis vocis, et loci per sex menses.

De dispensatione a choro prædicatoribus indulgenda.

§. 289. 4. Tribus diebus ante concionem, prælatus concedat facultatem, ut prædicatores choro non intersint, dummodo ad orationis mentalis horam, tam matutinam, quam vespertinam cum cæteris convenient. Concionaturis vero toto tempore quadragesimæ, plus temporis arbitrio prælati concedatur, dummodo orationi mentali intersint.

De concionibus habendis in quolibet conventu, et collegio.

§. 290. 5. Statuimus, ut in omnibus conventibus, et collegiis, exceptis eremis, singulis anni dominicis tempore orationis vespertinæ, concio ad populum habeatur, in qua per dimidiam horam catechistice explicetur doctrina Christiana, ad quam omnes fratres laici, et famuli conventus accedant, quia unquam omittatur, etiamsi populi desit concursus.

De catechisticis concionibus.

§. 291. 6. Statuimus etiam, ut in unoquoque conventu (eremorum domibus exceptis) sit deinceps unus ad minus prædicator domus a definitorio provinciali eligendus, et designandus, cujus præcipuum munus sit præfatas catechisticas conciones habere, et deinde alios sermones a prælato ipsi commissos pro viribus implere. Si autem domus prædicator, vel ob infirmitatem, vel ob aliam justam causam nequeat aliquando exercitia dominicalia obire, tunc prælatus per lectorem casuum, vel per alium conventualem idoneum, illius viçes supplere curabit.

De exemptionibus competentibus prædicatoribus domus.

§. 292. 7. Volumus autem, ut designatus in prædicatorem domus eisdem gaudeat chori, et officiorum exemptionibus, quæ casuum lectoribus in his constitutionibus conceduntur, aliisque fruatur privilegiis ad prædicatoris officium specificè ibidem directis. Admonemus definitorium provinciæ, ut juxta prædicatorum meritum, et domorum indigentiam, curet illos de uno in alium conventum transferre.

De aliis extraordinariis concionibus.

§. 293. 8. Ultra dictas conciones dominicales in monasteriis nostris sermo habeatur ad populum in solemnitatibus S. P. N. Eliæ, sanctissimæ matris Nostræ Mariæ de monte Carmelo, S. P. N. Joseph, sanctæ matris nostræ Theresiæ, et S. P. N. Joannis à Cruce.

§. 294. 9. Si prælatis expediens visum fuerit ad populos, ubi sunt nostri conventus, concionatorem aliquem aut quempiam alium fratrem egredi, ut populum doctrina Christiana possit instruere, aliaque mysteria fidei docere, et ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem nunciare id eis permitimus.

De aliis instructionibus popularibus.

## CAPUT UNDECIMUM

### De eremi constitutionibus

§. 295. 1. Cum eremiticæ vitæ institutum adeo sit perfectum, nostræque professioni consonum, post diversa aliorum monasteriorum instituta, eremi exercitia, et constitutiones tradere, æquum nobis visum est. In primis igitur, ut pii Ecclesiæ filii, declaramus hujus sanctæ eremorum institutionis finem potissimum esse, ut religiosi ibi existentes assiduis precibus, et orationibus, indefessis vigiliis, continua corporis castigatione, aliisque exercitiis, et vitæ operationibus Ecclesiæ Sanctæ opem ferant. Ideo præcipimus, ut in eis omnia sacrificia pro spirituali Ecclesiæ augmento offerantur, neque ulla ratione pro missis persolvendis stipendium aliquod recipiatur, ubi, et quando ad congruam sustentationem necessaria juxta prudens judicium definitorii eremorum conventus habuerint. Sed semper dicantur, et offerantur missæ pro propriis eremi obligationibus, pro Ecclesia Dei, pro religionis augmento, obligationibus, et necessitatibus, pro ordinis benefactoribus, et maxime pro sanctissimo papa nostro, et pro nostris catholico Hispaniarum rege, et regio, et pro suorum regnorum pace, conservatione, et augmento. Neque superior aliquis, neque etiam pater generalis cum definitorio possit aliquod missarum onus quocumque titulo dicendum imponere, neque in hac constitutione dispensare.

De constitutionibus eremi.

## §. I.

### De oratione continua

§. 296. 1. Præter assiduam, et jugem orationem ad quam unusquisque ex præcepto regulæ adstringitur, omnes simul in choro, vel in ecclesia tribus horis orationi mentali vacabunt, quarum una semper primo mane, hora quinta, et altera vespere eadem hora habeatur: deinde per dimidiam horam

De oratione continua.

ante prandium, et post matutinum per alteram dimidiam horam, et non ultra similiter orent. In octavis autem Paschæ, et Pentecostes, matutino ordinacia pausa persoluto, et semi hora orationis habita consuetam horam non expectabunt. Post completorium fiat examen conscientie, ut moris est in religione. Diebus autem, in quibus missa canitur, aut primo mane coram communitate dicitur, dimidia hora orationis ante prandium non habeatur, sed consuetum conscientie examen tantum fiet.

De recitatione  
divini officii.

§. 297. 2. Divinum officium magna cum reverentia, devotione, et pausa ab omnibus persolvatur. Quare volumus, ut in matutinis sanctorum duplicium, aut semiduplicium una hora cum quadrante; in domidicis, et festivitibus, in quibus propter ecclesiasticam solemnitatem habetur collatio extraordinaria, nec non in festo dedicationis ecclesie, fere hora cum dimidia, et in simplicibus, et feriis ad minus integra hora, addita quarta parte alterius, regulariter consumatur. Prima vero, et completorium ultra horæ quadrantem, vespere autem fere per dimidiam horam; et tertia, et sexta, et nona singule earum prope quartam horæ partem perdurabunt. Officium beate virginis, cum minori pausa, semper tamen devote recitari debet; in completorio officii majoris antiphona beate virginis quotidie cum cantu fiat, ut in aliis conventibus.

De cantu adhibendo in recitatione officii divini.

§. 298. 3. Decernimus præterea, ut in eremis solum canatur matutinum in primis diebus Nativitatis, Paschæ, et Pentecostes, in quibus etiam vespere primæ, et secundæ canendæ sunt. Idemque servetur in primis, et secundis vespere Circumcisionis, Ephiphaniæ Domini, corporis Christi, in commemoratione solemnî nostri ordinis, et in die Assumptionis beate virginis, et patroni titularis, nec non s. Joseph, S. P. N. Elie, et sanctæ matris nostræ Theresiæ, ac S. P. N. Joannis a Cruce. Fiatque officium cum cantu in matutino, et laudibus trium dierum majoris hebdomadæ, et in viilia Nativitatis primâ, tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis. Hymnus *Tu Deum* cum cantu dicatur in matutinis sicut in cæteris conventibus. Missa autem conventualis solum cantetur diebus dominicis, et in aliis festivis diebus, et in solemnitatibus sanctorum nostri ordinis, quæ cum octava celebrantur, et in festo dedicationis ecclesie. Quod si

Bull. Rom. Tom. VII.

aliqua prædictarum festivitatum transferatur solemnitas, tamen cantus transferri non debet. Cantetur insuper missa de Spiritu Sancto in die, qua celebratur capitulum generale, vel provinciale, et in commemoratione solemnî defunctorum, et in die obitus sanctissimi domini nostri papæ, et regis, et reginæ Hispaniarum, patrisque nostri generalis, defunctorum, et provincialis illius provincie, et in die obitus cujuscunque religiosi illius monasterii, et pro quolibet corpore præsentî. Die Natalis Domini, et in aurora Resurrectionis, tametsi primæ missæ cum cantu celebratae sint, hora consueta missa conventualis canatur.

De benedictionibus.

§. 299. 4. Præterea sicut in aliis conventibus, benedictio, et missa in feria quarta Cinerum, in dominica Palmaram, et in feria quinta in cæna Domini cum duabus sequentibus, solemniter cum cantu celebretur. Idemque servetur in benedictione candelarum, in die Purificationis, et singulis anni sabbathis per totum annum cantetur *Salve* cum eadem solemnitate, qua in cæteris conventibus, et psalmus *Miserere mei Deus* in disciplina.

De professionibus faciendis.

§. 300. 5. Possit in missis solemnibus sacerdos non uti ministris nempe diacono, et subdiacono præterquam in officiis majoris hebdomadæ. Fiantque quatuor solemniores processiones, quæ per annum in ecclesia celebrantur, nempe in die Purificationis, Palmaram, Resurrectionis, corporis Christi, et insuper in die commemorationis defunctorum in diebus vero rogationum, et sancti Marci litanie non canantur, sed in choro ante missam recitentur; et denique in secundis feriis recitentur responsoria in choro profunctorum, prout in cæremoniali ordinis adnotatur. Qui in separatis cellulis fuerint, divinum officium eodem tempore, ac in conventu, devote, et reverenter persolvant.

De missa conventuali.

§. 301. 6. Ordinamus, ut missa conventualis tempore examinis, quando dimidia orationis hora ante prandium habeatur, quotidie omnibus adstantibus celebretur, et ante eam hora una canonica, et post eam alia, secundum temporis varietatem, recitetur, et hæc missa nullatenus cantetur nisi diebus supra assignatis. In singulis vero sabbathis prædicta missa conventualis primo mane in obsequium beate virginis, et pro incremento ordinis, sicut, et in aliis conventibus, solemniter cum cantu celebretur.

U u u z

§. II. *De silentio perpetuo observando*

De silentio perpetuo servando.

§. 302. 1. Silentium omni loco, et tempore absque ulla exceptione in eremis observetur, nec liceat alicui sine superioris licentia, quam sine rationabili causa præbere non debet, alterum alloqui. Loquendi facultatem cum religiosus hospitibus etiam nostri ordinis prælatus non concedat, nisi in sua præsentia, vel tempore collationis spiritualis. Cum extraneis vero, exceptis præsentibus, aut fratribus, et hoc semel tantum in anno loqui non permittatur, quamvis id superiori, aut procuratori conventus, licentia prioris præcedente, non prohibemus.

Idem ut supra.

§. 303. 2. Completorio dicto in cellula prioris strictissime silentium observetur, tantumque permittimus tunc de illis rebus tractari, quæ minime in aliud tempus possunt differri, et hoc quam paucissimis verbis fiat, quod etiam cum hospitibus præcipimus observari, nisi forte completorio dicto in eremum pervenerint. Aliis vero temporibus omnibus religiosus liceat cum suo priore, quod opus fuerit pertractare, dummodo in choro, ecclesia, sacristia, claustris, dormitorio, et refectorio non fiat: in his enim locis priores etiam tenentur silentium observare.

De spiritualibus collationibus.

§. 304. 3. Quinto decimo quoque die in dominica ad imitationem sanctorum patrum pro spirituali collatione habenda omnes conveniant, quæ per spatium duarum horarum cum dimidia duret. Idemque fiat in diebus festivis beatæ virginis: nempe Nativitatis, Purificationis, et Conceptionis, nec non sancti Pauli primi eremitæ P. N. Hilarionis, et in vigilia Resurrectionis, Nativitatis, et in dominica Palmarum. In aliis vero solemnioribus diebus, collatio extraordinaria habeatur, scilicet in die Nativitatis Domini cum tribus sequentibus, et tribus diebus Paschæ, et Pentecostes, et in omnibus solemnitatibus primæ classis, non quidem diœcesanis: cujuslibet eremi, sed quæ cunctis eremis communes sunt: inter quos dies sancti Jacobi apostoli Hispaniarum patroni, sancti Bartholomei, et sancti Joseph P. N., ac religionis tutelaris connumeratur. Excipitur autem dedicatio propriæ ecclesiæ. In die insuper Circumcisionis, et in commemoratione solemniori nostri ordinis, et in die immediate præcedenti ante exaltationem sanctæ Crucis, nisi

feria sexta occurrat, nam tunc feria quinta fiat collatio, et denique in dominica quinquagesimæ, et in adventu p. generalis. In his extraordinariis collationibus bis in die liberum sit prælato, omnes religiosos in unum congregare, in quibus recreatio præcedens, et subsequens cœnam extraordinariam unus actus regularis æstimatur. Quod si forte aliqua prædictarum festivitatum, tum ex ordinariis collationibus, prope dominicam, in qua alias habenda foret ordinaria collatio ante, vel post occurrat, ita videlicet ut tres dies intra prædictam festivitatem, et dominicam non intercedant, tunc hujusmodi diei dominicæ collatio relinquatur, et non nisi juxta præscriptum quindecim dierum ab illa in posterum habeatur. Item præter dictas collationes tribus aliis vicibus per totum annum arbitrio prioris collatio ordinaria haberi possit: sed hoc nunquam fiat pro extraneis: hi enim cujuscumque dignitatis sint nunquam poterunt collationibus interesse, nisi de expressa licentia patris generalis. Poterunt etiam matutina dimidiari duodecim vicibus in anno.

De materia collationum spiritualium.

§. 305. 4. In his collationibus de rebus spiritualibus sermo instituatur, utpote de dignoscendis, et moderandis animi passionibus, et earum radicibus extirpandis, de tentationibus superandis, de variis virtutibus, et earum actibus, et exercitiis, de oratione mentali, et aliis variis rebus ad eremiticam vitam conducentibus. Cum collatio spiritualis habenda est prius per dimidiam horam pro temporis opportunitate ad arbitrium prioris oratio mentalis habeatur.

De materia collationum spiritualium.

§. 306. 5. Conveniant etiam omnes religiosi in adventu P. N. generalis definitorum generalium, aut visitatoris, quod fiat per aliquod breve spatium, et illi tantum, qui in eremi conventu morantur: nam eremitæ qui in cellulis a conventu separatis vivunt, tantum pro p. generali, et eremi visitatore convenire debent.

De adventu patris generalis, definitorum, vel visitatoris.

§. 307. 6. Dum religiosi, qui prælati alias non sunt, in eremis commorantur nemini scribant, nisi p. generali, definitoribus, tam generalibus, quam provincialibus, et visitatori: cum quibus etiam loqui, et ab eis epistolas accipere liberum sit, non tamen ab aliis. Quod si grave aliquod, et urgens negotium occurrat, in quo necessarium sit ad aliquem scribere, tunc fiet de licentia patris generalis, vel prior loco ejus epistolam mittat. Priori ta-

De literis scribendis.

men libere libeat scribere: procuratori vero, non nisi de licentia prioris, et tantum pro negotiis sui officii.

Idem ut supra

§. 308. 7. Tam officiales conventus, quam alii scripto, nutibus, ac signis pro rebus facilioribus exprimendis communiter utantur.

De honestate in conversatio ne servanda.

§. 309. 8. Præterea quoniam ad viros religiosos, maxime eremitas spectat honestas spiritualibusque uti confabulationibus, curandum igitur omnino est, ut eorum conversatio sanctæ eremitarum professioni respondeat.

§. III. De inviolabili eremi clausura

De inviolabili eremi clausura

§. 310. 1. Omnes religiosi jugiter in cellulis suis (ut regula præcipit) maneat lectioni, orationi, aut operibus manuum vacantes.

De iis, qui ab eremis egredi possunt.

§. 311. 2. Nemini religiosorum in eremis commorantium, quacumque occasione, sive titulo liceat foras exire, nisi solum procuratori ad id specialiter deputato, qui tantum pro rebus monasterii omninoque necessariis egredi possit, non tamen solus, nisi de licentia p. generalis, studeantque prælati, ut ea, quæ commode per sæculares, aut fratres laicos, vel donatos fieri possunt, nullatenus procuratori mandetur.

De idoneo procuratore adhibendo in pertractandis negotiis.

§. 312. 3. Pater generalis provideat de sufficienti, et idoneo procuratore pro quacumque eremo: et prior etiam ad breve tempus non poterit aliquem ex eremi conventualibus in hoc officio occupare, nisi impedito procuratore in aliquo casu gravi, et raro, qui adeo urgeat, ut iudicio prioris, superioris, et antiquioris, ex perpetuis differri, aut per donatum aliquem, vel alia via nequeat expediri. Sic autem designatus tantum durabit in officio, quousque p. generalis consulatur: quod quanto- tius fiat.

Quando prior liceat a deserto prodire.

§. 313. 4. Prior nunquam a deserto prodeat. Quod si gravis, urgensque exeundi causa, sive occasio se obtulerit hoc fiat de licentia patris generalis. Permittimus tamen, ut si quis ex fratribus non sacerdotibus ibi existentibus, vigesimum quartum annum sætatis attigerit, et non antea possit in viciniorem diocèsim pro suscipiendis ordinibus mitti, et servetur constitutio Benedicti XIV., quæ incipit *Impositi Nobis* 27 februarii 1747.

De eleemosynis expectan-

§. 314. 5. Decernimus, ut in deserto ordinariæ eleemosynæ, sicut in aliis

conventibus, nullo modo, (neque etiam sæcularium interventu) postulentur: quamvis quæ sibi erogata fuerint cum gratiarum actione, ut veri pauperes recipiant, omnem suam fiduciam in Domino collocantes, qui servos suos ei famulari cupientes, neque ad tempus deserit.

dis, et accipiendis.

§. 315. 6. Et ne religiosi a sua quiete, et contemplationis otio perturbentur, stricte prohibemus, ne sæculares, nisi de licentia p. generalis, in eremis hospitentur, aut recipiantur, nisi alias sint ex ipsis personis, quæ ibi suis expensis aliquam cellam ædificaverint, aut cleemosynam annuam pro alicujus eremitæ alimentis largiuntur, aut confraternitatem habeant illius domus, vel denique ita sint viri digniores, ut sine ordinis dispendio rejici non possint, nam in hoc casu prior de consensu superioris, et antiquioris fratris poterit eos admittere: dummodo id non fiat singulis annis, nisi sex aut septem vicibus. Liceat tamen priori pro suo arbitrio sæculares admittere eo fine tantum, ut orent in ecclesia, sed hoc frequenter non fiat. Religiosi etiam nostri ordinis (exceptis definitivis generalibus, et provincialibus, et provinciali illius provinciæ) sine licentia in scriptis p. generalis, in eremo non recipiantur, liberum tamen sit religiosos alterius ordinis sine exceptione, et sine ulla licentia recipere. Hortamur vero, ut licentiæ religiosis nostris mature, et raro, et cum magna limitatione per duos, aut tres dies concedantur, cum experientia testante ex hospitem frequentia in eremis magna incommoda sequantur.

De exclusione sæcularium ab eremis.

§. 316. 7. Nullus ex sæcularibus, nisi inevitabili id causa fieri contingat pernoctet in eremis, neque p. generalis hoc nisi rarissime permittat: neque recreationis gratia, sive ad venandum, vel ad piscandum aliquis cujuscumque conditionis sit ad eremum accedat, ne domus luctus, et compunctionis, convertantur in domos deliciarum, aut dissolutionis. Religiosis tamen alterius ordinis, iusta, et rationabili causa per unam noctem in eremo liceat permanere.

Idem, ut supra.

§. 317. 8. Præcipimus, in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub pena excommunicationis majoris ipso facto incurrenda omnibus prælatis, et religiosis cujuscumque professionis sint, ne unquam mulieres cujuscumque conditionis, quocumque titulo, sive ratione processionum, sive aliqua

De exclusione mulierum.

De eleemosynis expectan-

alio, etiam a jure, vel privilegiis permissis, intra eremi terminos ingredi permittant. Et ut etiam ipsæ mulieres prædictam censuram incurrant propter excommunicationem majorem a sanctissimo domino Nostro Clemente VIII. contra mulieres in hoc casu, et a Gregorio XV. contra mulieres in hoc casu, etiam in specifica forma, tam contra ipsas, quam contra omnes, qui illas introduxerint, seu qualitercumque auxilium, et favorem ad introeundum eis dederint, latam, declaramus omnem situm eremi, ut clausuram reputari. Insuperque prohibemus, ne p. generalis, aut defigitorium possit in hac re quocumque titulo dispensare, aut licentiam præbere, etiamsi prædictæ mulieres aliquod iudicium, sive licentiam a Sede apostolica impetraverint, nisi alias obedientiam, aut mandatum contineat. Volumusque, tam priorem, quam superiorem, aut quemcumque alium religiosum, qui negligenter in ingressu mulierum impediendo se gesserit, et officio, et eremi habitatione privari. Sub quibus etiam præcepto censuris, et pœnis mandamus, ne quis noctu absque prælati licentia eremi clausuram egrediatur.

De licentia obtinenda pro ingredienda alterius cellula.

§. 318. 9. Nemo in alterius cellam ingrediatur sine licentia, et qui nocte fuerit ingressus, graviter ad arbitrium prioris corrigatur. Si vero, qui in exterioribus separatis cellulis vivunt prædictam culpam commiserint, pro prima vice graviter puniatur, et pro secunda ab eremo ejiciatur.

#### §. IV.

*De vita asperiori tam in victu, quam in aliis in eremo servanda.*

De vita asperiori in eremo servanda.

§. 319. 1. Cum abstinentia, cibi que parcitas eremi incolis adeo sit propria statuimus, ut tam in quantitate, quam in qualitate ea cibi mensura sumatur, qua corporis necessitati tantum subveniatur, et illis cibis utantur, qui parare facile possint, et qui viliori pretio comparentur. Quare volumus, ut in victu servetur is ordo, ut regulariter tantum unum ferculum ex leguminibus comedatur, et alterum ex piscibus, qui viliori pretio comparentur, et veros pauperes deceant, vel ova loco piscium cum priori visum fuerit, sine pomo tamen, vel fructu aliquo nisi a Resurrectione usque ad exaltationem sanctæ Crucis: quia tunc cum prælato placuerit fructus aliquis superaddatur. Die-

bus autem, in quibus collatio extraordinaria celebratur, licebit ejusdem prælati arbitrio, majorem indulgentiam, tam in qualitate, quam in quantitate victus concedere, dummodo id fiat servata parcitate, quam paupertas, et vitæ eremiticæ status requirit. Post prandium vero omnes simul ad mensæ vasa abstergenda conveniant. At in cœna piscis, aut ova exhibeantur, regulariterque addatur fructus, vel olus aliquod. In diebus vero, in quibus missa cantatur, ratione sollemnitate, duobus prædictis ferculis in quocumque anni tempore de fructu aliquid ministretur, et si feria sexta sit.

§. 320. 2. Præterea præter jejunia Ecclesiæ, et regulæ, nempe a die exaltationis sanctæ Crucis usque ad Resurrectionem Domini singulis feriis sextis per totum annum jejuent, nullumque obsonium, quod igne paratur comedant, sed tantum oleibus, aut fructu aliquo utantur, nisi dies festus, vel alius sancti nostri ordinis in eis venerit: inter quos beatissima virgo Maria, indulgentissima ejus mater, et singularis patrona, potiori, et primo loco est commemoranda, ac proinde in quavis ejus festivitate, nec non in dedicatione ecclesiæ propter sollemnitatem missæ, in vigilia nativitate Domini, et in die sancti Pauli primi eremitæ, quamvis feria sexta sit, consueta refectio communitati ministretur. Diebus autem Coronæ spinæ, angeli custodis, et similibus, si feria sexta, et non in die festo occurrant, præscripta obsonii abstinentia observabitur. Cum aliqua autem necessitate, aut causa semper prælatus poterit aliquid aliud addere, pro religiosi, quibus id conveniens judicaverit, præter ea, quæ in his sextis feriis communitati ministrantur. In die vero paresces, et tertia feria ante diem Cinerum, nisi fuerit dies s. Martini in pane, et aqua omnes jejunent. Numquamque religiosi extra refectorium comedant, nisi ad summum quatuor, aut quinque vicibus per totum annum in sollemnioribus festis ad arbitrium prælati.

§. 321. 3. In aliis autem rebus, quæ ad vitæ arctitudinem, et corporis castigationem spectant, tam in habitu quam in lectulis, pedum nuditate, et corporis flagellatione serventur ordinis communes constitutiones, in paupertate tamen districtiorem regulam teneant. Quare tam in communi, quam in particulari omnia eremi utensilia, paupertatem altissimam redoleant, et

De jejunio extraordinario.

De jejunio extraordinario.

De jejunio extraordinario.

De jejunio extraordinario.

De jejunio extraordinario.

De corporis castigatione.

in primis, rebus vilioribus, asperioribus, et parcioribus quoad fieri possit utantur. Ideoque præcipimus, ut in eremis ea non recipiantur, quæ vel suo statui dissonant, vel quibus opus non habeant. Et præterea visitatores omni cura scrutentur, an aliquid in eis, excepta congrua sustentatione, superfluum inveniantur, et quæcumque non necessaria repererint in conventus provincie pauperiores, de consensu definitorii generalis distribuant. Strictèque oneramus tam priorum, quam religiosorum conscientias, ut p. generalem omni tempore de rebus superfluis, si quæ fuerint, certiores faciant.

De paramentis  
adhibendis in  
eremo.

§. 322. 4. Præterea paramenta omnia divino cultui destinata nulla ratione, auro vel argento intexta, aut etiam plumata, neque serica etiam in pauca quantitate fiant, neque serico, aurove nullo modo ornentur, nec etiam gratis oblata recipiantur, sed tantum lanea ut linea sint, quamvis pro interiori sacrarii ornatu quilibet cultus permittatur.

De vasibus sacris  
usibus destinatis.

§. 323. 5. Præterea vasa usibus sacris deputata ex auro, et argento, aut deaurata non fiant, exceptis calicibus, et eo vase, in quo sanctissimum Domini corpus reservatur, et in processionibus defertur, et alio pro infirmorum unctione, quæ et si argentea, non tamen sumptuosa, aut pretiosa esse debent.

De paupertate  
ædificiorum.

§. 324. 6. In ædificiis etiam potissimum paupertas resplendeat, sintque humilia, et simplicia, tam in parietibus, quam in lignis. Utensilia vero simplicitatem, ac rusticitatem (uti vere eremitas decet) præferant, et quidquid curiosum est, quantumvis minimum, tam in communi, quam in particulari omnino rejiciatur. In ecclesiis, choro, et sacristia liceat aliquo ornatu religioso, et devoto uti.

### §. V.

#### De religiosis qui in eremum mittuntur

De religiosis,  
qui in eremum  
mittuntur.

§. 325. 1. Nullus religiosus in eremum, nisi de consensu p. n. generalis, neque aliquis invitus, nec discipulus, aut penitentia aliqua actuali, et præsentis punitus, vel ille de cuius profectu non est aliqua probabilis spes, mittatur. Quare ad eremiticam disciplinam tantum admitti debent viri orationis, et mortificationis studiosi, et regulariter ubi commode fieri poterit,

p. generalis priorem eremi consulat, antequam aliquem in illam mittat.

De tempore  
permanentiæ  
ad acceden-  
tium eremum.

§. 326. 2. Ad eremum accedentes, ibi per annum ad minus permaneant, finito vero hoc tempore, p. generali incumbat eos ad alios ordinis conventus remittere, nisi ipsi ab eo licentiam ultra commorandi obtinuerint, et prior eremi p. generalem, adimpleto anno, certiores faciat. Omnino tamen provideat p. generalis, ut ad minus quatuor ibi perpetuo assistentes (volentibus, et petentibus ipsis) designentur, ut eorum exemplo, et doctu ceteri instruantur, et hi nulla ratione ab eremis extrahantur, nisi vel petentibus ipsis, vel ob salutis defectum, vel quia in alia deserta, justis de causis, transferantur, vel alia simili, gravique necessitate id exigente.

§. 327. 3. Præterea justa, et rationabili causa interveniente, liceat p. generali cum aliquo prælato, lectore, præsidente, aut alia simili persona dispensare, ut ad eremum Deo vacandi gratia duabus, aut tribus mensibus se recipiat: quod tamen raro fiat: ipsique hoc tempore vitæ eremiticæ exercitiis tantum occupentur, et in omnibus ac ceteri conventuales se habeant.

De dispensationibus  
concedendis pro  
receptione ad  
eremum.

§. 328. 4. Religiosorum numerus in eremis non sit ultra viginti quatuor ad summum. Ex quibus viginti sint ex his, qui choro deputantur, inter quos quatuor fratres ex non sacerdotibus possunt admitti, et laici necessarii pro officii obeundis, tresque, aut quatuor donati ad habitum, et educationem, qui prima professione emissa in alios conventus mittantur. Oneramusque superiorum conscientias, ut ad minus tredecim ex choro addictis semper sint, inter quos non connumerentur, qui per aliquot menses, aut breve tempus in eremo commorantur.

De numero  
religiosorum in  
eremis.

§. 329. 5. Si il, qui in eremis degunt ita remisse in assumpto proposito se gesserint, ut probabilis spes de eorum spirituali profectu non præsumatur, prior p. generali denuntiet, et ipse mature cognita causa, eos ad alteros ordinis conventus statim transferat, idemque faciat cum iis, qui habituali ægritudine ita afficiuntur, ut vitam communem in choro, et refectorio, et aliis communiter servare non possint.

De translatione  
non profi-  
cientium in spi-  
ritu.



## §. VI.

*De exercitiis eorum, qui in exterioribus, et separatis cellulis vivunt.*

De exercitiis eorum, qui in exterioribus, et separatis cellulis vivunt.

§. 330. 1. Ut exercitiorum varietate, spiritus magis foveatur, et ut tam in communi, quam in solitaria vita, vicissim omnes exerceantur, extra monasterium sint aliæ separatæ cellulæ, in quibus vitæ solitariæ per tempus a priore designatum, et ipsis petentibus, aliqui studeant, qui in omnibus, exceptis iis, quæ hic specialiter annotantur, communem cum aliis vitam servant, et eisdem horis ac in communi ecclesia divinum officium persolvant, factoque signo a communi cymbalo ad horas illud cæteræ cellularum campanulæ sequantur: negligentes vero in hoc corrigantur.

De victu ab eis adhibendo.

§. 331. 2. Qui in his cellulis separatis morantur, severiori victu, quam in conventu utantur: et omnes tantum oleribus crudis, aut coctis faciliter tamen paratis, et fructibus, aut pomis communiter sustententur, nisi ob debilitatem; vel aliam justam causam prælatus aliquid aliud alicui mittere velit; minimeque eis concedantur libri scholastici, aut sermonarii, aut exceptorii codices, sed tantum libri spirituales, vel sanctorum patrum opera.

De capitulo conventuali, abisque eorum communibus faciendis.

§. 332. 3. Singulis dominicis omnes eremitæ ad capitulum conventuale conveniant, et postquam se de suis culpis accusaverint, celebrata cum aliis conventualibus missa post prandium, vel vespas ad suas redeant cellulas, nisi collationis dies fuerit.

De congregationibus in ecclesia tempore quadragesimali.

§. 333. 4. Cum adventus, et quadragesimæ tempus specialiter Deo deputetur, ordinamus, ut feria secunda post primam dominicam Adventus, omnes in ecclesia congregentur; factaque a prælato pro rei opportunitate exhortatione, omnes per aliquod spatium orationi vacent, et postea in solitarias ædiculas a prælato sibi designatas usque ad diem præcedentem vigiliam Nativitatis, sex ad minus, aut plures recedant, ita ut in conventu ad divinum officium debite persolvendum sufficiens choristarum numerus remaneat. Et idem fiat prima die quadragesimæ, ubi imposito a prælato cinere, dataque benedictione, ad prædicta solitaria loca tendant: revertantur vero in dominica Palmarum, et non ante, nisi fuus alicujus fratris, aut eremi visitatio occurrat: festivis hujus temporis diebus, liceat assuetam abstinentiam, tam in

qualitate, quam in quantitate prioris arbitrio remittere. Liberumque sit prælato, cum sibi visum fuerit, aliquem, vel aliquos ex iis ad conventum revocare, eorumque locum alium, vel alios mittere. Prædicto tamen tempore in conventu capitulum, et collationes pro eis tantum, qui in eo assistunt, non omitantur. Curandumque maxime est prælato quantum possibile sit tempore Adventus, et quadragesimæ majori cura quam per reliquum anni tempus sæcularium congressus evitare.

§. 334. 5. Nemo ex conventualibus ad separatas cellas mittatur antequam ad minus duobus mensibus cum aliis in eremi communitate permanserit; et prior, aut vicarius eremi, saltem semel in hebdomada visitabit omnes fratres, qui in his separatis cellulis commorantur.

De visitatione eorum qui commorantur in separatis cellulis.

## §. VII.

*De regimine circa eremi monasteria servando.*

§. 335. 1. Eremi monasteria immediate p. n. generali subjiciantur, et ab eo tamquam a proprio patre, et pastore regantur, qui ob spiritualem fructum, qui ex eis toti ordini accrescit, et præcipue ob gloriam Dei hujusmodi domos fovere, ac tueri maxime curet, et idem cæteri prælati faciant; liceat tamen quando p. generali visum fuerit, provinciali illius provincie suas vices conferre.

De regimine eremorum.

§. 336. 2. Piores eremorum eligantur ex iis, qui in eremitica disciplina fuerint versati, et deficientibus his; et toto ordine, qui regulariter tribus annis officio suo fungantur, nisi aliud electoribus expediens videatur, quorum arbitrio relinquatur, eorum officia plus temporis protrahere. Ad officium prioris viri irreprehensibiles assumantur, orationis studiosi, et in spirituali vitiorum certamine experti. Habeant præterea eas qualitates, quæ in aliis ordinis prioribus requiruntur. Si quæ vero ex iis desiderentur, dummodo prædictis orietur cum eo poterit dispensari. Superior autem a priore eligatur, et a p. generali confirmetur, et utriusque arbitrio perduret. In eremi temporalium bonorum administratione, et in numero clavariorum, et forma eos eligendi, et in usu arcæ trium clavium servetur omnino quod pro aliis conventibus in constitutionibus statuimus.

De prioribus eremorum.

De cultura arborum.

§. 337. 3. Ne in eremis nimia agriculturæ sollicitudine spiritus extinguatur, volumus, ut tantum illæ arbores, vel agri colantur, quibus aliquorum fratrum donatorum, simul cum aliquo sæculari, labor regularis sufficiat, et ut ea loca semper arboribus censita sint, quolibet anno priores, agrestes, et frugiferas arbores teneantur plantare.

§. VIII.

*De inviolabili harum legum observantia*

De inviolabili legum observantia.

§. 338. 1. Decernimus, ut nulla constitutionum harum mutari, extinguì, seu quovis alio modo alterari, vel alia denuò addi possit, nisi eo modo, ac reliquæ ordinis constitutiones. Loco autem consultationis, quæ in capitulis provincialibus præcedere debet, pro harum mutatione, sive additione, similis alia fiat in eremis a visitatoribus, et eremitarum sententiam in capitulo generali referant.

De interpretatione legum.

§. 339. 2. Quoniam sinistra legum interpretatio omnem earum vim evacuare, et exinanire solet, volumus et sæpius imperamus, ut omnes eremi constitutiones simpliciter intelligantur. Quod si forte de earum sensu aliqua interdum dubitatio contingat, tunc ille sensus, sive declaratio, eligatur, quæ magis orationi, asperitati, et aliis hujus professionis observantiis favet. Studeantque non solum prælati, sed quivis alii religiosi (salvâ tamen animi pace) perfectam harum legum observantiam summo studio zelare. Et pro hujus sancti instituti conservatione, et augmento maxima cura in omnibus eremis ad Deum speciales fundantur preces.

De lectione constitutionum in rectoria faciendâ.

§. 340. 3. In omnibus vero, aliisque, quæ his constitutionibus non contradicunt, communes ordinis constitutiones custodiantur, et initio cujuscumque mensis hæc constitutiones eremi in rectorio legantur, et omnes eremorum conventus, sicut et alii quotannis visitabuntur per patrem generalem, vel per religiosos idoneos, quos p. generalis ad id designabit. Quod regulariter per provincialem illius provincie, cujus est eremus, fiat. Et tenebuntur visitatores statim de cujuscumque eremi statu, tam in temporalibus, quam in spiritualibus relationem ad patrem generalem mittere.

De numero eremorum.

§. 341. 4. Volumus tamen, ut in qualibet provincia sit aliqua ex eremorum domibus, quam prælati tota diligentia

erigere, et augere contentur, propter uberes fructus, qui toti religioni proveniunt. Sed in nulla provincia poterit esse nisi unica tantum eremus, et definitorium nequaquam dispensare poterit, ut alicubi sint plures.

TERTIA PARS CONSTITUTIONUM

CAPUT PRIMUM

*De electionibus in communi, et obligationibus suffragatorum*

De electionibus in communi.

§. 342. 1. Quia sancta synodus Tridentina in electione superiorum, et officialium regularium, quæ omnia recte et sine ulla fraude fiant, stricte præcipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Ut hoc salubre concilii decretum servetur inviolabiliter, ut par est, decernimus, electiones omnes superiorum, aut officialium in capitulis, aut definitoriis faciendas per secreta suffragia fieri debere, utque secretum istud arctius servetur, et libertati electorum plenius consulatur, fient in posterum electiones per schedulas scriptas non de manu electoris, aut alterius ad ipsius arbitrium, sed de manu præcise duorum fratrum, qui ad munus hoc destinabuntur. Cætera autem negotia per calculos albos et nigros determinentur. Ne ergo circa electiones vel minimus pateat æquivocationi aditus sequens in eis forma servabitur.

De forma servanda in electionibus.

§. 343. 2. Capitulum, antequam ad electiones procedatur, duos designabit fratres, (in definitorio sufficit unus) qui non sint de corpore capituli, aut definitorii. Horum munus erit nomina eorum, quæ electores ab ipsis petierint, in schedulis scribere manu propria, et ante omnia juramentum præstabunt coram capitulo vel definitorio de non revelandis nominibus traditis electoribus, et de secreto servando in omnibus, quæ sigillum circa electiones, et electorum libertatem requisitum directe, aut indirecte frangere possint. Immediatè post præstitum juramentum ambo pergant ad locum sibi designatum extra aulam capitularem, et parum ab ea distantem, ubi duo ita separati pro officio suo exercendo sedebunt, ut nequeat unus ab alio scripta videre, aut suscipere.

Idem ut supra.

§. 344. 3. Postea duo digniores de capitulo consedentibus cæteris ad amovendos accedent singuli ad unum ex eis duo, aut tria ad minus eligendorum

nomina petitori; quo facto simul ad capitulum redeant, schedulum sibi bene visam in vas ibi ad suscipienda suffragia paratum reponant, dilaceratisque superfluis, sedeant. Deinde bini, et bini suo ordine reliqui idem exequantur usque dum omnes suffragentur. Confestim post suffragationem peractam si electio fiat a capitulo, præses cum duobus definitoribus, et secretario schedulas scrutentur, quas singuli legent, et secretarius cum alio ex scrutatoribus nomina in schedulis contestata, cum annotatione numeri suffragiorum cuilibet respondentis, seorsim scribingent, duorumque scripta conferentur an inter se conveniant, ut nullus sit æquivocationi locus. Si electio fiat a definitorio, scrutatores erunt præses cum duobus ex dignioribus definitoribus et secretario, qui in cæteris se gerent ut præscriptum est de scrutatione capituli a definitorio facta.

§. 345. 4. Omnes electiones canonicæ fient, eritque canonica electio, si quis plura habuerit suffragia, quam alii omnes simul, et si excessus ultra medietatem consistat in medio tantum voto, sicut si ex quindecim suffragia habeat octo, electio erit canonica. Si prima vice in nullo eligendorum conveniant suffragia ultra medietatem non est electio, et debet suffragatio iterari. Quod si secundo et tertio idem contigerit, qui tertia vice plura suffragia, quam quilibet aliorum seorsim habuerit is censeatur canonicæ electus, et si tunc duo vel tres fuerint vocibus æquales antiquior in professione, et si adhuc in hoc adsit æqualitas ætate major manebit electus.

§. 346. 5. Ordinamus, ut facta electione minime suffragia talis electionis publicentur. Si vero pro secunda vice electores non convenerint, possit præses, ut facilius suffragia conformentur, eos qui voces habent, et suffragiorum numerum manifestare. Decernimus, ut omnes controversiæ in electionibus ortæ a definitorio generali, vel provinciali respective decidantur. Si de electione p. generalis dubium aliquod occurrat definitorium teneatur illud omnino per majorem partem suffragiorum intra diem naturalem decidere (idem fiet a definitorio provinciali in dubio de electione p. provinciali) quorum resolutioni nemo contradicat, sub pœna privationis officii, loci et vocis in perpetuum irremissibiliter incurrenda.

§. 347. 6. Nec p. generalis nec alius ordinis superior jus habeat nominandi personam aliquam ad electionem, quamvis aliquando cum expediens videbitur, definitorium poterit aliquas personas eligentibus ob oculos ponere: semper tamen ipsi liberi maneant ad electionem faciendam tam ex eis qui propositi sunt, quam ex quibusvis aliis.

§. 348. 7. Nullus ex electoribus per sex menses præcedentes ad capitulum generale, vel provinciale potest voce activa privari, nisi ratione suæ culpæ mereatur privationem officii, cui vox sit annexa. Si quis vero ob alias causas sit inhabilis aut voce careat, decernatur id a definitorio generali vel provinciali.

§. 349. 8. Nemo possit in electionibus vocem suam alteri delegare, nec simul duas voces habere quamvis pluribus fungatur officiis, nullusque ad sua officia incompatibilia eligetur.

§. 350. 9. Ut ergo omne vitium in electionibus vitetur, ut omnis officiorum ambitus præcludatur occasio, omnino servari volumus decretum ss. Urbanis VIII. quod est tenoris sequentis » Caveant omnes a directa, vel indirecta vocum seu suffragiorum promotione, tam pro se ipsis quam pro aliis, tum in capitulis locorum, tum in cæteris præsertim generalibus capitulis, aut congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, propter alias personas et censuras hætenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur: super quo cum eis dispensari a nemine possit nisi a Nobis, vel a successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur ».

§. 351. 10. In superiorum, et officialium omnium electionibus præmittent electores juramentum sicut idem ss. Urbanus VIII. præcipit, eligendi eos, quos secundum veritatem cujusque conscientiæ probatores, ac magis idoneos judicaverint. Utque electiones omnes possibili puritate fiant, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto formali omnibus religiosis nostris, tam subditis, quam prælatis, ut nullus in tota congregatione nunquam possit directe, vel indirecte per se, vel per alium procurare officium

De libertate electionis.

De privatione vocis activæ.

De delegatione vocis in electionibus.

De servando decreto Urbani VIII. in electionibus.

De juramento præmittendo in electionibus.

De canonica electione.

De vetito publicatione suffragiorum.

pro religioso nostro, aut moniali ex iis, quæ per electionem conferuntur.

CAPUT SECUNDUM

De qualitatibus eligendorum

§. I.

De qualitate eligendorum in communi.

§. 352. 1. Ad officia et prælaturas ordinis illi præcipue, ut in decreto ss. papæ Urbani VIII. præcipitur, eligantur, qui possint, et consueverint regulas ordinis et constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium chori ac vestitum, et victum communem, proptereaque ordinamus ut qui ratione alicujus ægritudinis non possit assidue choro interesse, vel a carnibus abstinere, eo ipso maneat inhabilis ad officium generalis, provincialis, prioris, aut superioris, et jam electus ob easdem causas ab officio removeatur. Poterit tamen in definitorem vel generalem, vel provincialem eligi, si alias in eo ceteræ qualitates ad munera ista desideratæ conveniant.

§. 353. 2. Neque eligi poterunt ad prælaturas, qui sacerdotes professi non fuerint nec a jure inhabiles, ne qui voce activa, et passiva privati sunt, ne qui semel expulsi ab ordine, aut apostata fuerint.

§. 354. 3. Volumus, ut in electionibus cunctis, sed maxime prælatorum digniores, ut dictum est, præferantur, et in quo electorum conscientias graviter oneramus, optamusque maxime, et præcipimus, ut eligendi omnes sint qualitatibus ad munera in his nostris constitutionibus requisitis affecti, nec aliter eos eligi posse permittimus.

§. 355. 4. Memores etiam sint electores nihil se ad Dei gloriam, et tuendam ordinis disciplinam utilius facere, quam si boni pastores, et ad religionem rite gubernandam magis idoneos ei studeant præficere, pariterque superiores omnes electos, aut in posterum eligendos in Domino admonemus, ut præ oculis habeant rationem, quam in novissimo die reddituri sunt de grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in regula, et in his constitutionibus sancta sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur, super his enim

Bull. Rom. Tom. VII.

fundamenti ordinis ædificium consistet, et in dies augebitur in gloriam Dei, decorem Ecclesiæ, et salutem animarum.

§. II.

De qualitatibus eligendorum in particulari.

§. 356. 1. Sollicite exquirendæ sunt in eligendis integritas morum, prudentia, scientia, vita communis, puritas, et zelus regularis, ac inviolabilis observantiæ, curandumque maxime ne in electione ejus, qui super omnes constitui debet, errare contingat, si quod desideratur in corpore deficiat in capite. Unde si qui toti ordini est præficiendus, taliter debet supra ceteros præeminere, ut ipse solus pastor, et ceteri ejus grex esse statim appareat.

§. 357. 2. Generalis ergo qui toti ordini præest sit ætate gravis, nec quinquaginta annorum minor, sapientiæ præstans, in theologiæ, aut sacrorum canonum peritia excelsus, et in observantia, et regimine regulari adeo expertus, ut per sex saltem annos aliquos conventus, ut prælatus immediatus, rexerit, et ulterius per tres annos provincialis, vel definitoris generalis munere functus fuerit.

§. 358. 3. In definitoribus generalibus, præter virtutis prudentiam et consilii dotes requiritur ætas completa quadraginta quatuor annorum, et quod per quatuor annos theologiam doctuerit, vel saltem tres annos philosophiam et per alios tres theologiam, et insuper per sexennium conventuum aliquorum prior extiterit.

§. 359. 4. Ad officium provincialis eadem ætas, quæ in definitoribus, idem tempus lectionis theologiæ et prælationis immediate desiderantur. Sed si quis per novem integros annos consultoris munus exercuit, quamvis non fuerit lector, poterit eligi in provincialem, dummodo ceteris supradictis qualitatibus ornatus sit.

§. 360. 5. Qui in visitatorem generalem alicujus provinciæ a patre generali, vel definitorio est destinandus, eadem debet habere qualitates, quæ exiguntur in definitoribus generalibus.

§. 361. 6. Nemo in procuratorem generalem tam Romæ, quam Hispaniæ eligetur, nisi easdem omnino habeat dotes in provincialibus requisitas, et idem sit de secretario primo p. n. ge-

De qualitatibus eligendorum in particulari.

De electione generalis.

De electione definitorum generalium.

De eligendo ad officium provincialis.

De destinatis in visitatores generales.

De electione procuratoris generalis.

De qualitatibus eligendorum in communi.

De eligendis ad prælaturas.

De prælatione in electionibus facienda.

Monitum ad electores.

neralis, et de sociis, ac substitutis ad capitulum generale assignandis. Procuratores, et secretarius primus generales, possunt in generalatum quamvis nec provinciales, nec definitores generales extitissent, assumi, dummodo per quatuor saltem annos officia sua exercuerint: idem sit de visitatore generali qui integram visitavit provinciam.

De numero  
definitorum  
provincialisium.

§. 362. 7. Definitores provinciales sint quatuor, qui non tantum ex assistentibus in capitulo provinciali, sed ex tota provincia eligi poterunt, quicumque idonei judicentur, et scientia, prudentia, et zelo præditi habeant qualitates sequentes.

De requisitis  
necessariis in  
primis defini-  
tore.

§. 363. 8. Eligendus in primum definitorem fuisse, necesse est, lectorem theologiæ per tres annos, aut per novem consultorem, seu præsidem conferentiarum moralium, et insuper per sex annos priorem aliquorum conventuum.

De requisitis  
aliorum trium  
definitorum.

§. 364. 9. Tres alii definitores sufficent, si fuerint lectores theologiæ per tres annos, aut præsides conferentiarum per sex, et quod prioris munus integrum triennium exercuerint, unus autem ex his eligi poterit, et si non fuerit lector, nec conferentiarum præses dummodo per integrum decennium evangelicæ prædicationis munus cum designatione prædicatoris domus laudabiliter obierit, et alias fuerit prior per tres annos.

De requisitis  
ad prioris of-  
ficium obti-  
nendum.

§. 365. 10. Ad officium prioris assumuntur spectatæ vitæ religiosi, qui trigesimum ætatis suæ annum attigerint, quique per triennium lectores fuerint theologiæ, vel finitis studiorum cursibus per sex annos literarum professionem exercuerint in officiis lectoris artium, consultoris, collegialis candidati (vulgo passantes) et magistri studentium, seu lectorum adjutores, sive ex anni simul in uno ex dictis officiis, vel partim in uno, et partim in alio aut in aliis transacti computentur dum ob penuriam religiosorum omnibus prædictorum requisitis a constitutionibus præscriptis per eadem comitia provincialia non dispensetur ad hoc ut eligi possint, qui licet trigesimum septimum non compleverint, trigesimum vero secundum suæ ætatis annum expleverint, ita tamen ut cæteris polleant qualitatibus, nec electio respiciat conventum cui alicujus monasterii monialium sit concredita directio.

De requisitis  
necessariis ad

§. 366. 11. Item qui prædicatoris munere cum assignationem per decem

annos alicujus ex dictis exercitiis literarum adjunxerit alios sex in munere secretarii secundi generalis, vel in officio superioris.

munus prædicatoris.

§. 367. 12. In electione magistri novitorum maxima cura adhibenda est, et omnino studendum, ut talis sit, qualis a ss. papa Clemente VIII. describitur, nempe, qui trigesimum quintum annum ætatis excedat, doctrina et antea vitæ exemplo præstans, orationi, et mortificationi addictus, scientia, prudentia, charitateque præditus, affabilis, gravis, zelum Dei cum mansuetudine præferens, ab omni cordis, et animi perturbatione præsertim indignatione longissime alienus, et talis denique qui in omnibus se ipsum honorum operum, et regularis observantiæ exemplum præbeat, ut ii, qui ejus curæ subsunt illum non tam metuant, quam reverentur, quin illi unquam detrudere quidquam possint.

De electione  
magistri novi-  
torum.

§. 368. 13. Volentes ergo, ut apostolica ordinatio servetur ad unguem decernimus, ut magister novitorum eligatur a capitulo provinciali, qui habeat omnes qualitates in prioribus requisitas, et rursus priori munus per triennium integrum exercuerit. Sintque ei tres magistri anni pro totidem annis in prioris officium insumptis, ut possit in generalem definitorem, vel provincialem eligi, dummodo habeat alias qualitates ad hæc officia requisitas.

Idem ut supra.

§. 369. 14. Socius magistro novitorum designandus sit sacerdos, qui trigesimum annum excedat, atque vita, et moribus, prudentiaque, quantum fieri potest, magistro consimilis, ut præscribit laudatus ss. papa Clemens. Quod electores præ oculis habere magnopere commendamus, ne in electione tanti momenti errare contingat.

De electione  
socii magistri  
novitorum.

§. 370. 15. Magister professorum, et ejus socius eligentur, habita ratione qualitatium quæ pro magistro novitorum, et socio ejus requiruntur, et prudenti electorum arbitrio applicandæ ad magistros professorum, eorumque socios. Qualitates in superioribus, lectoribus, clavis, et procuratoribus requisitæ in propriis harum constitutionum capitibus designantur.

De magistro  
professorum,  
et ejus socio.

§. 371. 16. Pater generalis, et procuratores generales utriusque curiæ eligendi sunt juxta formam capite sequenti præscribendam. Ad cætera autem officia assumuntur religiosi ex filiis provinciæ ad quam spectant. In provinciis de novo erigendis, libere ex toto ordine eligentur religiosi ad eorum munera

Declarationes  
speciales.

exercenda pro tempore, capitulo generali bene viso.

### CAPUT TERTIUM

#### *De reelectionibus in ordine vitandis.*

De reelectionibus in ordine vitandis.

§. 372. 1. Inter cœlestia sanctæ matris nostræ Theresiæ monita unum est, et omni ponderatione dignum, quod in ordine reelectiones priorum non fiant. Tantæ ergo magistræ præcepto obtemperantes, et vestigia sequentes decernimus, ut nullatenus fiant in ordine reelectiones, nec dum priorum verum potiori jure, nec prælatorum superiorum. Quod ut plenius impleatur, sequentia constituimus statuta inviolabiliter servanda.

Idem ut supra.

§. 373. 2. Generalis; qui ultra tres annos munus suum exercuit, finito suo officio, in nullo eventu poterit iterum in generalem, aut vicarium generalem eligi in duodecim annis sequentibus, neque his transactis, nisi in casu necessitatis, et tunc non nisi convenientibus ad electionem in primo, et unico scrutinio plus quam tribus ex quatuor partibus suffragiorum capituli, alias autem prælaturas generalatu inferiores nunquam omnino in posterum obtinebit.

Idem ut supra.

§. 374. 3. Ut generalatus dignitas omnes ordinis provinciis proportionabiliter pervadere semper possit, de cætero non eligetur generalis, nec vicarius generalis ex tribus ultimis provinciis, quæ ultra tres annos hunc honorem habuerunt, nisi in casu necessitatis, aut magnæ utilitatis, ob quam ultra tres ex quatuor suffragiorum capituli partibus convenirent in primo, et unico scrutinio in eligendo aliquem ex dictis tribus provinciis in generalem.

Sequitur ut supra.

§. 375. 4. Definitor generalis si officium exercuit per majorem partem triennii, non potest eligi in idem munus in integro sexennio sequenti; et si eo transacto redeat ad idem officium, jam tertio illud obtinere non poterit, nec valet transire in provincialem per electionem regularem in dicto sexennio; poterit tamen transactis tribus integris annis a finito officio definitoris fieri provincialis per electionem irregularem, concurrentibus, in primo, et unico scrutinio plusquam tribus ex quatuor partibus suffragiorum capituli. Sed valebit eligi per electionem regularem in definitorum provinciam, vel in priorem transacto integro triennio post finitum definitorium generalem, et non antea.

Sequitur ut supra.

§. 376. 5. Provincialis, qui per majorem partem triennii rexit provinciam nullatenus poterit idem officium habere in sex annis sequentibus, neque eis transactis poterit in illud redire, nisi per electionem irregularem, cum plus quam tribus ex quatuor suffragiorum partibus in primo, et unico scrutinio convenientibus. Poterit eligi in definitorum generalem per regularem electionem post integrum sexennium a finito officio provincialis, et non antea, et per electionem regularem cum plus quam tribus ex quatuor partibus in primo, et unico scrutinio fieri poterit definitor generalis transacto triennio, et post idem tempus, et non antea assumi poterit per electionem regularem in priorem, aut vicarium conventus, aut definitorum provinciam, et nunquam tertio possit eligi in provincialem.

Idem ut supra.

§. 377. 6. Procuratores generales utriusque curiæ durabunt per sexennium, et nunquam eligentur ex filiis provinciam, ex qua electus est generalis. Si autem contigerit generalem eligi, quando adhuc procuratores generales officium non finiunt, et aliquis procuratorum sit de provincia generalis noviter electi, non ob id ab officio cessabit usque ad præfinitum tempus.

Idem ut supra.

§. 378. 7. Non poterunt duo procuratores generales esse ejusdem provinciam, nec de provinciis duorum procuratorum, qui ipsos immediate antecesserunt in officio, ut sic officium istud valeat omnes provincias cum proportionatione percurrere, nec poterunt reeligere in officium procuratoris generalis ullius curiæ, nisi in casu necessitatis, convenientibus ad eorum reelectionem duabus ad minus ex tribus partibus suffragiorum.

Idem ut supra.

§. 379. 8. Electus in definitorum provinciam poterit in eodem capitulo eligi in socium, aut substitutum pro sequenti capitulo generali, si habeat qualitates præscriptas; similiter et definitor provinciam potest assumi in provincialem; nequit tamen simul esse definitor, et prior, aut aliam prælaturam obtinere una cum officio definitoris habendam; nec potest reeligere in definitorum provinciam immediate post finitum officium idem, nec in toto triennio sequenti.

Idem ut supra.

§. 380. 9. Priores minime reeligantur ad eundem conventum, cui majori triennii parte præfuerunt; ad alios vero eligi poterunt nisi per quatuor annos sine interruptione munus prioris tantum, vel partim prioris, et

partim provincialis, aut definitoris generalis, vel provinciæ exercuerint. Priores enim, qui modo dicto per quatuor continuos annos præfuerint, nequeunt in priores iterum admitti non transacto integro triennio, bene tamen ad officia majora, nempe generalis, definitoris generalis, vel provinciæ, et in provinciales. Priores vero eremorum poterunt eligi, et reeligi ad eandem eremum, aut ad alios conventus quin obstat prohibitio pro cæteris prioribus apposita.

Idem ut supra

§. 381. 10. Visitator designatus a p. generali pro aliqua provincia visitanda, si ejus capitulo præsideat, in eo voce activa gaudebit, non tamen poterit in eodem capitulo, cui præsidet, eligi in provincialem, nec in definitorem generalem, nec in socium aut substitutum pro sequenti capitulo generali, nec in definitorem provincialem; bene vero in priorem, nisi alias sit per has nostras constitutiones impeditus.

Regula generalis.

§. 382. 11. Denique sit regula generalis: qui nequit reeligi in generalem, in definitorem, in provincialem, aut in priorem, nec in vicarium respective, nec in præsidem hospitii eligi posse permittimus.

## CAPUT QUARTUM

*De capitulo generali*

## §. I.

*De tempore celebrationis, et de gremialibus ad illud accessuris.*

De tempore celebrationis capitulo generalis.

§. 383. 1. Capitulum generale nostri ordinis celebretur de sexennio in sexennium sabatho ante dominicam ultimam septembris, semperque, vel regulariter fiet in conventu sancti Petri de Pastrana, in quo tempore capitulo nulli permittentur hospites præter gremiales, et eos, qui pro illorum obsequiis deputentur.

Declaratio specialis.

§. 384. 2. Si circa tempus pro capitulo generali celebrando assignatum, patrem generalem, adeo infirmari contingat, ut ei assistere non valeat, poterit ipse per unum mensem, et non amplius capitulum differrè. Si autem hoc, congregato jam capitulo, eveniat, capitulum decidet quid sit agendum.

De extraordinaria capitulo celebratione.

§. 385. 3. Capitulum generale intra sexennium non celebrabitur, nisi

pro extraordinaria electione p. generalis, et casu adeo gravi, et urgenti, ut arbitrio definitorii, et sex ex septem definitorii votis postulantis pro casus determinatione capitulum generale congregare necesse sit.

§. 386. 4. Gremiales, qui hunc generalem congressum, et supremum ordinis tribunal componere debent, et in eo suffragaturi erunt p. generalis, sex definitores, octo provinciales ex totidem provinciis, quæ sunt intra Hispaniæ peninsulam, singuli cum duobus suæ provinciæ sociis, et de provincia, quæ non habet definitorem cum tribus sociis, ita ut ex singulis dictis provinciis, ut debita servetur æqualitas quatuor convenient suffragatores in capitulo, et alterius duo tantum ex provincia s. Alberti apud Indos, nempe procurator dictæ provinciæ, et ejus socius, vel definitor generalis, quando juxta postea dicenda eam ex filiis suis habere definitorem generalem contigerit.

De componentibus supremum tribunal ordinis in capitulo.

§. 387. 5. Procurator generalis Hispaniæ assistet cum voce ad capitulum generale, tamquam socius natus suæ provinciæ, quin ob id convenient ex ea plus quam quatuor vocales ad capitulum generale, et solum ex provincia unde fuerit p. generalis poterunt quinque suffragia concurrere.

De jure procuratoris generalis Hispaniæ.

§. 388. 6. Si generalis denuo electus non fuerit de corpore capitulo, et ad illud ante ejus absolutionem pervenerit, præsidebit, et suffragabitur usque ad capitulo consumptionem.

Declaratio quoad generalem denuo electum.

§. 389. 7. Quod ad ordinem consensus gremialium spectat p. n. generalis primam sedem tenebit, et facta novis generalis electione si ibi adsit secundam, idemque si eligatur præses capitulo; postea definitores suo ordine, deinde provinciales, seu vicarii secundum antianitatem provinciarum, et ultimo eorum socii, etiam pro provinciarum antiquitate, et tam intra, quam extra capitulum sedebunt, et præsidebunt juxta dictum ordinem in conventu usque ad capitulo finem. In gubernatione autem conventus minime immisceantur.

De scannis occupandis ab gremialibus.

§. 390. 8. Electiones omnes ad capitulum generale spectantes sunt tres, nempe p. generalis, et duorum procuratorum generalium Romæ, et Hispaniæ, quas a toto capitulo fieri debere statuimus; cæteræ vero electiones fient deinceps in capitulis provincialibus. Si durante capitulo electi in eo e vita decesserint, aut officia renunciaverint,

De electionibus spectandis ad capitulum generale.

spectat ad capitulum renunciationem admittere, et ad officia vacantia novas electiones facere.

## §. II.

### *De agendis in congressu capituli*

De agendis in congressu capituli.

§. 391. 1. Per duos saltem menses ante celebrationem capituli, p. generalis epistolas mittet vocatorias ad omnes gremiales, ut in die, et loco designatis opportune conveniant. Si vero vocatoriæ epistolæ non pervenerint, gremiales eas non expectent, sed præstituto tempore, etiam non vocati ad capitulum accedant.

De precibus Deo effundendis.

§. 392. 2. Instante capituli celebratione curabit p. generalis, ut in omnibus conventibus congregationis, tam fratrum, quam monialium publice, et privatim enixe pro felici illius exitu effundantur ad Deum preces, atque iis qui capitulo intersunt, divinam suam voluntatem misericorditer inspiret, et lumen e cœlis emittat, quo omnia absque animi perturbatione ad omnipotentis laudem, religionis utilitatem, et perfectionis progressum pacifice, et recte possint ordinari.

De conventu gremialium.

§. 393. 3. Omnes gremiales feria sexta immediate præcedenti dictam dominicam ultimam septembris, et non antea sub pœna arbitrio definitorii applicanda conveniant. Eodem die, electo a definitorio secretario capituli, qui juramentum fidelitatis illico præstet, et examinatis sociorum literis, interrogabit præses omnes gremiales: an in aliquo ipsorum impedimentum noveriat, propter quod non debeat in capitulo admitti? si reperiat, et sufficienter probetur in aliquo ex eis adesse impedimentum, declaretur statim, illudque habens ejicietur a capitulo. Neque omittatur in capituli generalis sessionibus electio apostolicarum constitutionum, quæ legi debent juxta Sanctæ Romanæ, et universalis inquisitionis diei 19. aprilis 1623. quod incipit = *Sanctissimus Dominus Noster* = quod fiet etiam in quavis alia electione prioris nostri generalis, aut vicarii generalis.

De absolutione gremialium a censuris.

§. 394. 4. Immediate post capituli præses absolvet ad cathedram omnes gremiales a censuris, aut alio quocumque impedimento, vel inhabilitate per quod omnis timor nullitatis in actis capituli evanescat.

De literis ad capitulum missis.

§. 395. 5. Deinde definitorium designet duos ex gremialibus, qui lite-

ras ad capitulum missas legant, et fideliter ei opportuno tempore referant. Si tamen aliquæ ex dictis literis sint procerum, aut similium personarum, et de electionibus tractent, non nisi finitis electionibus manifestentur, ne libertas electorum arceatur.

§. 396. 6. Postea coram omnibus gremialibus caput istud, et duo antecedentia a secretario legantur, atque cunctis audiantur, ne quid memoria excidat, quod ad rectam in electionibus semitam sequendam desideratur.

De lectione presentis capituli gremialibus faciendâ.

§. 397. 7. Lectione peracta præses designabit proximum sabathi diem ad generalem, et procuratores generales eligendos, hortabiturque suffragaturos, ut aliarum rerum cura penitus deposita, quod reliquum est temporis usque ad electionem orationi vacent, ac eligendorum mores considerent, ut sanctius, et securius in tanti ponderis actu se gerant.

De designatione diei ad electionem generalem, et procuratoris generalis.

## §. III.

### *De electionibus in capitulo faciendis*

§. 398. 1. Sabatho igitur primo mane missa sollemnis de Spiritu Sancto, in qua omnes conveniant pro felici capituli exitu, celebretur, idemque fiat eodem die in omnibus ordinis monasteriis.

De electionibus in capitulo faciendis.

§. 399. 2. Missa dicta absentibus amplius non expectatis, vocales omnes signo dato in aulam capitularem conveniant, ubi Dei auxilio prius impetrato, et sedentibus cunctis p. generalis, vel ejus vices gerens concionem habeat de bona electione faciendâ, et rei gravitatem, non expesso, nec subindicato ullius nomine summopere commendet. Concione finita procedatur statim in silentio ad eligendum generalem juxta formam, et modum in capite proximo hujus tertie partis stabilitam.

De concione habenda pro bona electione.

§. 400. 3. Electus generalis ipso jure manet confirmatus in prælatum, et caput totius congregationis, cui omnes obedire tenentur, ideoque statim post electionem, si generalis noviter electus adsit, canente præside hymnum *Te Deum laudamus*, omnes capituli, et conventus fratres cum solemnibus processione ad ecclesiam tendent, ubi novo generali obedientiam, prout decet, humiliter, et devote præstabunt, quo facto statim redient omnes vocales ad capitulum, ut procuratores generales Romæ, et Hispaniæ ante prandium eli-

De præstatione obedientie novo electo generali.



gant, et si transactis viginti quatuor horis impedimentum non inveniatur a definitorio confirmetur.

De denuncia-  
tione electio-  
nis generali  
absentis.

§. 401. 4. Si generalis noviter electus absens sit statim ei electio denunciatur, et nihil usque ad ipsius adventum in capitulo fiat, dummodo intra octo dies commode accedere posse existimetur. Sin autem statim præses a capitulo eligatur, qui loco generalis cum definitorio præsideat, et omnia in capitulo fiant, sicut si p. generalis adesset.

De præteris  
agendis post  
electionem ge-  
neralem.

§. 402. 5. Die dominica sequenti missa solemnis habeatur cum concione patrocinii S. P. N. Joseph ad quam omnes capitulares in ecclesia conveniant. Feria secunda immediata incipiet capitulum agere de aliis rebus occurrentibus, maxime de reformatione ordinis, de legibus firmandis, et si opus fuerit de formandis statutis pro evellendis abusibus, aut relaxationibus.

#### §. IV.

*De forma servanda in statuendis legibus, et ordinationibus.*

De forma ser-  
vanda in sta-  
tuendis legi-  
bus.

§. 403. 1. Ad capitulum generale veluti ad supremam nostri ordinis potestatem, omnia ea spectant, quæ in aliorum ordinum generalibus capitulis jure, privilegiis, consuetudine, aut aliâ quacumque via fieri possunt. Spectant insuper ad illud electiones facere, quæ in his constitutionibus ei reservantur circa nostrorum beatificationes, et canonizationes quomodo, quando, et quo ordine tractandum sit, decernere; provincias dividere, dummodo quælibet provincia de illis ex noviter erectis duodecim ad minus fratrum domos habeat jam fundatas præcepta toti ordini juxta regulam imponere, ordinationes facere, et leges concedere; id tamen ultimum, quam rarissime, et fere nunquam fieri oportet, ne legum multitudo subditorum animos obruat, atque ideo nec jam stabilitæ mutandæ sunt, nisi evidentissima urgentissimaque causa superveniente.

De forma le-  
gum.

§. 404. 2. Quare leges, et statuta, sive acta in posterum parcius, maturiusque concedantur, stricte commendamus, quod sancta mater nostra Theresia per sæpe monuit, et docuit nempe, quod leges sint paucæ, et bene observatæ, atque aut nulla sint, aut paucissima, ne legum, et statutorum multitudo, et inconstantia animos præmant, et observantiam regulæ, quæ

se sola, satis gravis est, labefactent. Ideoque statuimus, ut deinceps non stabiliatur lex aliqua nisi prius per capitula tria generalia probetur hoc ordine.

§. 405. 3. Quoties quinque ex gremialibus postulaverint, vel proposuerint aliquid super quod velint, ut capitulum tractet, et decernat, teneatur præses capitulo proponere, ut decernatur: dummodo non sit de iis, quæ mutationem, vel additionem legum spectant, quia de hoc nunquam tractabitur, nisi majori parte capituli postulante. Et semper graviora negotia de una in alteram sessionem differantur pro maturiore eorum discussione.

De iis, quæ in  
capitulo sunt  
omnino tra-  
ctanda.

§. 406. 4. Cum igitur ad propositionem majoris partis capituli agitur in eo de nova lege statuenda, si capitulum cum plus quam tribus partibus ex quatuor, et non aliter propositionem approbet, quamvis non statim executioni mandabitur, neque servabitur, ut acta, seu statutum inchoationem tamen legis habeat, et exinde capitula provincialia immediata rem in examen adducant, et rationes sui judicii exponant, quas provinciales singuli deferant ad proximum capitulum generale, in quo si lex inchoata per plusquam tres ex quatuor partibus suffragiorum approbetur, statim obligabit non ut stabilis constitutio, sed ut simplex statutum, seu acta, de qua iterum consulentur capitula provincialia, ut magis, ac magis examinatis, pensatisque rationibus, tertio in capitulo generali sequenti de lege statuenda maturius decernatur. Et si ibi concurrentibus plusquam tribus ex quatuor partibus comprobetur, tunc si sanctissimus pontifex quæsito ejus judicio probaverit, vim, et nomen constitutionis habeat.

De novis legi-  
bus statuendis

§. 407. 5. Si tamen in quocumque ex tribus capitulis generalibus non approbetur cum præfixo numero suffragiorum, statim eo ipso expiret, et maneat omnino extincta. Et idem volumus observari ad aliquam ex statutis legibus alterandam, aut mutandam, quod non nisi approbantibus tribus capitulis generalibus cum dicta suffragiorum numero in singulis, et consultis ad id capitulis provincialibus, spectatoque sanctæ Sedis judicio fiet: sin aliter lex in suo robore maneat.

De exclusione  
novarum legum,  
vel reformationum.

§. 408. 6. Constitutiones de novo stabilitæ, et jam approbatæ scribantur in libro capituli generalis cum approbatione, et subscriptione omnium vocalium.

De subscri-  
ptione nova-  
rum legum.

De Bullis apostolicis, vel regis legibus ad religionem pertinentibus.

§. 409. 7. Statuimus præterea quod omnes Bullæ, literæ, sive privilegia apostolica, aut regia ad religionem quoquomodo spectantia capitulo generali, vel definitorio exhibeantur, ut debitæ ab eo mandentur executioni.

De modo computandi suffragia.

§. 410. 8. Declaramus, quod in qualibet re decernenda, in qua æqualis vocum divisio fieri non potest, quarta pars est sic computanda, si vocales fuerint decem, aut undecim, quarta pars consistet in duobus, et sic proportionabiliter in cæteris.

De dispensatione a constitutionibus ordinis.

§. 411. 9. Solum capitulum generale valet dispensare constitutiones, quæ ad ordinis regimen spectant, sed non nisi convenientibus tribus ex quatuor partibus vocalium, et hoc pro aliqua tantum vice, et in casibus particulariibus.

De facultatibus capituli ædendi statuta communiter acta.

§. 412. 10. Potest etiam statuta quæ communiter acta dicuntur, dum opus fuerit ædere. Hæc tamen quam raro fiant, et non nisi convenientibus ad eorum institutiones tribus saltem ex quatuor partibus suffragiorum. Acta ista, sive statuta vim obligandi habebunt usque ad sequens capitulum post sexennium celebrandum, in quo si non confirmantur extincta sint, si confirmantur in suo robore manent per aliud sexennium. Eo autem transacto omnino cessant; nec unquam acta ultra duo sexennia possint persistere in posterum, nisi adeo sint necessaria, ut iudicio trium partium, et amplius ex quatuor capituli debeant ex tunc inchoationem legis assumere, et in vi obligandi subsistere, usque dum per sequentia duo sexennia in leges exigantur, vel penitus extinguantur juxta formam, et modum, quæ in numeris 1. et 5. hujus capituli pro statuendis novis legibus sancita sunt.

Monitum ad prælatos.

§. 413. 11. Monemus iterum prælatos, eorum conscientias onerantes, ne acta multiplicent, neque pro evellendis particularium, et alicujus conventus, vel provinciæ abusibus, leges, et statuta faciant pro tota congregatione, sed ibi parent remedium, quibus adest morbus, non enim opus est valentibus medico, sed qui se male habent: neque præcepta ad peccatum mortale obligantia imponant, nisi aut nulla, aut paucissima, maxime in illis ordinationibus, quæ longo tempore sunt duraturæ.

De poenis contra violatores legum, et constitutionum ordinis.

§. 414. 12. Ad majorem autem stabilitatem legum firmitatem, omnia quæ in his constitutionibus statuta sunt, volumus, et præcipimus, ut sine con-

traditione, et inviolabiliter observentur, stricteque mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, et privationis officii, loci, vocis, et aliis arbitrio definitorii infligendis, ut nullus religiosus, sive subditus, sive prælatus, nec per se, nec per alium directe, aut indirecte contra ea, quæ in his constitutionibus circa ordinis regimen, tam in communi, quam in particulari sanciantur, audeat pertinaciter debellare, aut temere, et contra jus attentare, sive machinari. Et religiosi ad quorum notitiam pervenerit, aliquem esse hujus mandati transgressorem, teneantur sub dicta censura statim illum definitorio denunciare.

## §. V.

### De absoluteione capituli

§. 415. 1. Expeditis omnibus, de quibus agendum fuit, interrogabit præses a gremialibus an expediat finem capitulo imponere. Quibus annuentibus, et per majorem partem suffragiorum absoluteionem capituli approbantibus, jam de capitulo actum esse declarabitur. Tuncque provinciales præsentabunt relationem scriptam, quam singuli afferre debent omnium defunctorum, qui in unaquaque provincia in toto illo sexennio decessere, ut coram capitulo publice commemorentur.

De absoluteione capituli.

§. 416. 2. Die sequenti celebrabitur missa sollemnis pro defunctis ordinis, pro confratribus, et benefactoribus, cum concione, et consueto responsorio post eam, quibus capitulares omnes intersint.

De missæ celebratione pro defunctis.

§. 417. 3. Peractis defunctorum officiis omnes gremiales in aulam capitularem conveniant, ibique p. generalis, vel præses genuflexus coram digniore capituli sedente, et aliis interestantibus humilem sui confessionem faciat in aliorum ædificationem, et exemplum; in cujus imitationem ident exequantur, et cæteri gremiales coram p. generali sedente genuflexi, ut verba salutis, quæ ex parentis ore in eorum correctionem, et profectum permanentiter profluant, benigne audiant, humiliterque suscipiant.

De confessione patris generalis, et aliorum gremialium.

§. 418. 4. Deinde secretarius capituli leget clara voce quidquid ab initio capituli actum est, et jam ad capituli librum debet esse transcriptum, quodque omnes vocales propria subscriptione firmabunt. Absoluto sic capitulo, antequam capitulares descendant

De lectione, et subscriptione libri capitularis.

de visitatione agetur p. generalis, procuratorum, et secretariorum generalium præcedentium, quæ fiet statim modo in §. sequenti dicendo.

### §. VI.

*De visitatione p. generalis, et aliorum in capitulo facienda.*

*De visitatione facienda.*

§. 419. 1. Pater generalis non est residentie subjectus, durante suo officio, eo tamen finito visitabitur in capitulo a novo generali, et definitorio. Hæc autem visitatio sic fiet. Pater generalis noviter electus, vel eo absente primus definitor præceptum formale imponet omnibus gremialibus, ut coram ipso, et secretario, qui sit unus ex definitoribus a definitorio electus, teneantur inter duos dies disponere quidquid circa mores, regimen, nostrarum constitutionum observantiam, aut debitam sui muneris executionem in p. ex-generalis animadversione dignum cognoverint. Vocabit postea coram se, et secretario singulos gremiales, qui depositionem a secretario fideliter scribendam faciant, et suo nomine subscribant. Absoluto scrutinio rationem de eo reddent definitorio, ut ab ipso visitatus juxta causæ meritum, vel absolvatur, vel corrigatur. Teneatur p. ex-generalis in ista sui visitatione rationem definitorio reddere de acceptis, et expensis. Hæc autem omnia intra duos dies debent regulariter concludi, ut gremiales iter in suas provincias instituunt. Quod si aliquo casu majori opus sit diligentia, nullatenus omittatur.

*De inquisitione, et sententia ferenda contra correctione dignos.*

§. 420. 2. Volumus etiam, quod si religiosus aliquis, vel monialis aliquid in p. generali (et idem sit in unoquoque alio in capitulis visitando) correctione dignum cognoverint, per epistolas ad generalem, vel definitorium via sibi benevisa, transmissas libere manifestet. Quod si forte a gremialium depositione, vel aliorum epistolis, definitorium judicaverit majorem inquisitionem fieri oportere: præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientie, et sub præcepto formali, ut omni cura, secreto, et sine strepitu quantum res ferat, intra tres menses post capitulum generale per se ipsos, per provinciales, aut per alios religiosos suo arbitrio, tali munere idoneos teneantur eam facere. Conclusa vero ejus causa de illa prudentia comite, et rectitudine sententiam ferant. Et tam p. generalis, quam definitores, et se-

cretarius, qui huic visitationi formandæ, et judicandæ interfuerint jure jurando ad servandum secretum circa deponentium personas, quin eas nec aliis gremialibus revelare valeant, penitus adstringantur.

§. 421. 3. Procuratores, et secretarii generales visitabuntur ibidem eodem tempore, ab eisdem; et sub eadem forma pro p. ex-generalis visitatione stabilita, facta prius a p. generali, vel de ejus commissione ab alio residentia procuratoris generalis in conventu Matritensi. De modo, quo patres provinciales, definitores generales, et definitores provincie visitandi suat, dicetur dum de hujusmodi officiis sigillatim tractabitur.

*Declaratio specialis.*

## CAPUT QUINTUM

*De definitorio generali*

### §. I.

*De componentibus definitorium, et de tempore, et ordine in celebrando servandis.*

§. 422. 1. Optima regiminis ratio exposcit, ut graviora negotia non quibusvis prælatis, sed superioribus resolvenda committantur, ut majori consilio, et maturitate ordinata, tutius in justitiæ, et veritatis finem tendant, quo publicum communis bonum aptius promoveatur. Ideo apud nos sancitum est, ut pro rebus gravioribus judicandis definitorium generale statuatur, quod sit secundum totius ordinis tribunal, in quo post capitulum generale, suprema congregationis residet auctoritas, et potestas.

*De componentibus definitorium.*

§. 423. 2. Hoc ergo definitorium constat ex p. n. generali, et sex definitoribus, qui ex diversis provinciis eligi debent, ita ut singuli eorum natura, et filiatione ad eam provinciam pertineat pro qua juxta ordinem in his constitutionibus stabilitum eligendi sunt.

*Idem ut supra*

§. 424. 3. Nostra congregatio novem continet hodie provincias, quæ ad quinque, ut ita dicamus, matrices reducuntur, quatuor intra Hispaniam, et unam apud Indos in regno Mexicano. Quatuor Hispaniæ provinciæ dividuntur singulæ in duas, quæ communiter mater, et filia dicuntur, et octo provincias componunt in quatuor binarios reductas, quorum singuli binarii ex ma-

*De provinciis contentis in congregatione.*

tre, et filia constant. Quatuor ergo ex sex definitoribus debent eligi ex quatuor binariis provinciarum alternantibus inter se matre, et filia, duo autem definitores, qui restant eligentur ex novem provinciis inclusa Mexicana, alternis vicibus cunctas novem circumcumbentes juxta delineationem in fine harum constitutionum apponendam, et nunquam definitores searium numerum excedent, quamvis provinciarum multiplicentur, omnesque in potestate, et præ eminentiis erunt æquales. Si defensor generalis filius provinciarum sancti Alberti, aut non accesserit tempore opportuno, aut deponatur, vel moriatur, durante suo officio, procurator illius provinciarum substituet pro-defensore donec proprietarius accedat.

De secretario.

§. 425. 4. Ultra patrem generalem, et sex definitores requiritur secretarius ab ipsis eligendus, vel ex corpore defensorii, vel extra illud, qui sit tali munere dignus, et omnibus qualitatibus in provincialibus requisitis ornatus, qui statim post sui electionem coram defensorio fidelitatis juramentum emittat.

De secreto servando in defensorio.

§. 426. 5. Et quia maxime decet defensorii negotia sacratissimo secreti sigillo muniri; utque secretum stricte, fideliterque servetur, præcipimus, ut p. generalis, definitores, et secretarius in officiorum ingressu teneantur juramento fidem adstringere, eorum, quæ in defensorio aguntur, secretum perpetuum servandi, quando major defensorii pars juramentum pro illo casu obligare statuerit, et si quis illud violaverit a defensorio pro qualitate culpæ digne corripiatur. Statuimus, ut quando in defensorio non adest filius provinciarum sancti Alberti, negotia ad illam provinciam spectantia non decendant, nisi vocato prius, et audito circa ea illius procuratore in Hispania degeate.

De confirmatione defensorum generalium.

§. 427. 6. Quamvis definitores generales eligendi sunt, deinceps in capitalibus provincialibus respectivis, eorum tamen confirmatio spectat ad defensorium generale excepto defensore provinciarum sancti Alberti, quando est filius illius provinciarum, quem non solum in capitulo provinciali eligi, sed ab ipso defensorio confirmari volumus propter distantiam. Erit privativum defensorio generali loca sex definitoribus designare, et quis eorum sit primus, secundus, tertius, et sic de reliquis decidere, ut suo quisque ordine stabiliti sedeant, et antiquitatem servet tam intra, quam extra defensorium.

Bull. Rom. Tom. VII.

§. 428. 7. Definitores sexto quoque mense etiam non vocati omni excusatione postposita, et nisi ob infirmitatem, vel aliam indeclinabilem causam præpediti, in conventum a p. generali de ipsorum consilio designatum, et die præfixa conveniant, nempe die decima quinta octobris, et maii. In his enim diebus semper defensorium generale ordinis celebrandum est, et p. generalis non poterit defensore aliquem impedire, vel ita occupare, ut tunc accedere non possit, neque licentiam ad id præbere. Definitores, p. generali absente, aegrotante, vel impedito statim designata die defensorium inchoabunt, durabitque per tempus necessarium, et non amplius ad expedienda negotia per arbitrium ipsius defensorii, et tunc tertio quoque die, saltem per unam horam congregabuntur. Quando p. generalis defensorium sponte congregaverit, tunc ipse etiam dissolvere illud poterit. Volumus etiam, ut defensorium quoties p. generali visum fuerit congregetur, et si quatuor ex defensoribus postulaverint, teneatur etiam p. generalis illud celebrare, sed expectandi sunt definitores absentes, et nullatenus habebitur usque dum accedant. Et quando defensorium congregatur pro officiis tunc vacantibus (quorum electio ad defensorium spectet) personas idoneas eliget, quod de congregatione, quæ fit tempore præfixo, et non de aliis extraordinariis intelligendum est. In his enim poterit defensorium, non tamen tenebitur prædictas electiones facere, sed quodcumque defensorium congregatur, tenebitur p. generalis omnia defensorii negotia usque tunc occurrentia ei proponere.

De celebratione defensorii generalis.

§. 429. 8. Agenda in defensorio a p. generali proponantur, et ipso absente, ab antiquiori ex defensoribus ibi assistentibus: quilibet etiam ex eis poterit postea proponere ea, quæ ad defensorium spectant; et si tres petierint, ut aliquid eorum decidatur, tenetur præses id exequi, seu decidere cum defensorio. Omnia vero negotia per decisa, et secreta suffragia (nempe per calculos albos vel nigros) decidentur, exceptis electionibus, quæ per schedulas (ut concilium Tridentinum præcipit) fieri debent, et nulla res, sive negotium, ut a defensorio decretum habeatur nisi prius, ut dictum est, per secreta suffragia fuerit decisa, nihilque decernant, nisi omnes simul in forma defensorii pro tribunali sedeant. In rebus autem gravioribus proposito negotio,

De his, quæ sunt proponenda in defensorio.

judicium, et sententia in diem sequentem differatur, nihilque per epistolas, aut soluto definitorio decidatur.

De modo procedendi in gravissima negotiis.

§. 430. 9. Definitores si negotium aliquod grave, et quod ad commune bonum ordinis attineat, id postulaverit, poterunt quatuor ex his concurrentibus, religiosum aliquem ad regalem curiam, et quinque suffragantibus ad Romanam mittere, et in re gravissima, hoc est si p. generalis (quod absit) cum magno scandalo procedat, vel religionem cum notabili relaxatione, aut regulæ transgressionem in rebus gravibus gubernet, vel aliqua via attentaverit regimen ordinis in his nostris constitutionibus præfixum in toto, vel in parte prætermissis ordine, et modo ab ipsis præscripto mutare: aut si officii sui prolongationem quæsierit. In his enim casibus etiam quinque definitores concurrentibus, poterunt omnes Hispaniæ provinciales convocare, et ex his omnibus saltem undecim suffragiis concurrentibus, et non aliter contra eum procedere, ejus causam judicare, et si opus fuerit, eum ab officio deponere. In casu depositionis p. generalis, totius dictæ congregationis, et non solius definitorii erit, vicarium generalem ex toto ordine eligere juxta regulas stabilitas de relectionibus vitandis.

De communitionibus faciendis generali cum scandalo procedenti.

§. 431. 10. Sed antequam ad id perveniant per definitores quatuor ex ipsis concurrentibus, et si opus sit etiam per epistolas inter se, negotio collato p. generalis iterum atque iterum modeste commonefiat, ut ab ipsis defectibus se absteat, et emendetur. Et tunc poterit definitorium præcepta, censurasque in prædicto casu in toto ordine, vel quibus opus fuerit imponere; et tunc mandata à primo, et secundo defensore, et secretario subscripta, fidem faciant, et in hoc casu poterit definitorium p. generali præcipere, et adhuc per censuras, et quovis alio modo, si opus fuerit compellere, ut dum ejus causa concluditur, et judicatur, in conventu ab eis designato maneat, et munus suum non exequatur: et in hoc casu omnes definitores omnino adsint.

De substitutis nominandis in definitorio.

§. 432. 11. In electionibus vicarii generalis, et procuratorum generalium si tempore intermedio occurrant, et quando deponendus fuerit aliquis definitor, seu provincialis, et quando visitatio p. generalis, vel definitorum videnda, seu judicanda est, omnes definitores interesse debent, quin aliquis ex definitorebus possit substitutum mit-

tere nec definitorium eum admittere. Si autem definitor nec accedere valet, nec renunciare officium potest, nec religio valet eum deponere, tunc casus, ut sex voces in definitorio conveniant, potest definitorium illius substitutum nominare, qui sit filius ejusdem provinciæ, et non sit actualis prælatus, nec præses hospitii, quod intelligi volumus, dum pro longo tempore impedimentum duraturum esse intelligatur; si vero solum brevi tempore, aut pro aliquo casu particulari ejus præsentia desideretur, tunc ad definitorium pertinebit, religiosum gravem qui septem vocales a jure requisitos compleat, eligere; idemque fieri debet pro supplenda absentia definitoris, et procuratoris Indiarum in similibus casibus occurrente. Extra hos vero casus definitorium poterit unum vel duos ex definitorebus (quando conveniens sibi visum fuerit) in aliquo intra Hispaniam accipere: dummodo semper sint in definitorio quatuor definitores et p. generalis, et ipso p. generali absente, sint saltem quinque ex ipsis definitorebus, in nullo enim alio eventu admittendus est substitutus aliquis pro definitorebus, neque unquam poterit aliquis definitor esse prior alicujus conventus.

§. 433. 12. Epistolæ ad definitorium missæ nullatenus nisi præsentia omnium aperiantur, ibique communiter recitentur nisi aliud definitorio visum fuerit. Præcipimus tamen, ne res secretæ definitorii ullo modo pateant: et hortamur patrem generalem, definitores, atque alios superiores, ut sententiæ expulsionum a definitorio latæ, expulsoꝝque processus, si oporteat pro ipsorum vita tantummodo observentur: cætera vero scripta, et informationes cujuscumque sint, finita, conclusaque eorum causa, et post visitationem prælati, qui de ea sententiam tulit igni mandentur, nisi aliquando propter bonum religionis ea custodiri definitorium disponat: et tam hæ scripturæ, quam aliæ informationes, sententiæ, aut his similia, et maxime ex quibus alicui religioso infamia, aut detrimentum sequatur, secreto, fideliterque in secreto loco, et sub clavibus per p. generalem et secretarium serventur.

De literis definitorio missis coram omnibus legendis.

§. 434. 13. Et ne ordinis libri, bullæ, privilegia, aliæque scripturæ temporum injuria pereant, ordinamus ut Matrili in nostro conventu sancti Ermenegildi constituatur tabularium,

De custodia librorum, et scripturarum.

seu archivium ad scripturarum depositum, duabus clavibus obserratum, quarum unam habeat p. generalis, et alteram prior domus.

## §. II.

*De rebus ad definitorium pertinentibus.*

De rebus ad definitorium pertinentibus.

§. 435. 1. Primam definitorii nostri auctoritatem hanc esse volumus, ut de omnibus ad aliud spectantibus definitores simul cum p. generali sententiam ferant, quin aliquid ad definitorium attinens executioni mandetur, quod prius ab ipso per secreta suffragia decretum non fuerit.

Idem ut supra

§. 436. 2. Ad definitorium spectat, capitulum generale indicare, ejus tempus et locum designare, in eo præsidere, et dubia circa constitutiones exorta declarare: cujus declarationes quamvis ante capitulum generale, obligationem inducant; debent tamen illi suo tempore proponi, a quo si approbentur vim obligandi in posterum obtinebunt, et si reprobentur extinctæ maneat.

Idem ut supra

§. 437. 3. Electiones intermedias facere, ad officia vacantia, quæ juxta has constitutiones in capitulo generali fieri solent, et definitores generales in capitulis provincialibus electos confirmare, et eorum ordinem, et antiquitatem designare qui sit primus, secundus etc. decernendo.

Idem ut supra

§. 438. 4. Si pater generalis e vita decesserit, aut renunciaverit, et ejus renunciatio a definitorio admittatur, primus definitor statim alios definitores convocet, et simul provincialem vel vicarium provincialem illius provinciae, in qua generalis decessit, vel in qua erat dum renunciavit, et in ejus defectu immediatum illius antecessorem in provincialis officio illius met provinciae, ut congregatis sex definitoribus cum dicto provinciali definitorium ex septem istis compositum ex toto ordine juxta regulas de relectionibus vitandis supra stabilitas, eligant vicarium generalem, qui eandem auctoritatem, et jurisdictionem habeat, ac si esset p. generalis. Primus definitor, et quicumque alius ex definitoribus in hoc casu, et quovis alio simili, nullum alium actum præcedentiae, aut præsentiae exercebit præter dictam definitorii congregationem.

Idem ut supra

§. 439. 5. Vicarius generalis de novo electus, si transactus fuerit annus cum dimidio a capitulo generali præ-

cedenti, perdurabit usque ad complendos tres annos ab ultimo capitulo generali, in quorum fine definitorium cum suo vicario generali congregabit capitulum ad electionem novi generalis, qui ex tunc sui officii incipiat sexennium.

§. 440. 6. Si vero mors, aut renunciatio generalis acciderit ante transactum annum cum dimidio ab ultimo præcedenti capitulo generali, tunc definitorium cum vicario generali noviter electo intra quatuor menses capitulum congregabit ad eligendum generalem, cujus officium durabit usque ad complendum sexennium generalis præcedentis, et non amplius.

Idem ut supra

§. 441. 7. In hoc capitulo pro electione generalis congregando vocem habebunt vicarius generalis (et si ex definitoris officio assumptus est, ejus substitutus) cæteri definitores, provinciales actuales, et alii omnes, qui pro aliis capitulis generalibus in his constitutionibus assignantur. P. generali ex Hispaniæ finibus egrediente ab ipso, et definitorio eligatur vicarius generalis, qui in omnibus vices gerat generalis absentis.

Idem ut supra

§. 442. 8. Extra duos hos casus numquam eligetur, aut designabitur vicarius generalis, nec a toto definitorio, nec a p. generali seorsim.

Idem ut supra

§. 443. 9. Ad definitorium spectat absolvere, et deponere prælatos in casibus in his constitutionibus expressis, et quando jus, et ratio id postulaverit, et si aliquando p. generalis ex commissione definitorii prælatum aliquem deposuerit, rationem suo tempore reddet definitorio.

Idem ut supra

§. 444. 10. Insuper est proprium definitorii renunciationes p. generalis, definitorum, et procuratorum generalium, provincialium, et sociorum capituli generalis extra capitulum factas admittere.

Idem ut supra

§. 445. 11. Item acta pro tota religione condere, at id rarissime, et non nisi ex quinque suffragiis concurrentibus quatuor, et sex de septem, nunquam fient pro toto ordine ad abusum peculiaris conventus, aut provinciae vitandos, nec quæ nostræ regulæ, aut constitutionibus contradicant: poterit etiam jam facta revocare, et dispensare. Oportet autem talia statuta absque gravissima necessitate non multiplicare, neque circa regimen commune religionis fieri, nisi consulto p. generali, et cum ejus approbatione juxta formam ad hujusmodi actorum insti-

Idem ut supra

tutionem in nostris constitutionibus præscriptam.

De decretis, et actibus gestis in capitulis particularibus.

§. 446. 12. Decreta sive acta in capitulis provincialibus ædita non habent vim obligandi, donec a definitorio approbentur; cuius etiam est dispensare in legibus ad mores tantum spectantibus, quod quam raro, matrequè fiat, et non nisi in magna necessitate, et concurrentibus quatuor ex quinque suffragiis, et sex de septem; præcedenteque consensu definitorii provincie, pro qua dispensatio exigitur, cum quatuor ex quinque illius definitorii suffragiis.

Declarationes circa dispensationes a definitorio concedendas.

§. 447. 13. Circa constitutiones regimen ordinis concernentes, non valet definitorium dispensare, nisi contrarium pro aliquo casu fuerit in constitutionibus expressum, neque, ut monialis aliqua ullo casu, seu quocumque titulo ad habitum recipiatur ultra numerum pro singulis conventibus in suis constitutionibus præfixum. Si autem monialis aliqua in amoentiam incidat, in qua per tres annos perduret, adeo ut amoentia æstimetur perpetua poterit definitorium ejus sedem declarare vacantem, et permittere, ut alia ejus loco admittatur ex declaratione ss. Urbani VIII.

De admissione puellarum ad habitum monialis.

§. 448. 14. Nulla ratione ad habitum monialis admittatur puella, quæ ad decimum septimum annum non pervenerit, nisi aliquo casu raro ex causa gravi, et urgenti, definitorium generale, vel p. generali cum aliqua, quæ decimum quintum ætatis annum compleverit, et non ante necessarium duxerit dispensare. Et nullatenus secularis aliqua ad convivendum cum monialibus admittatur.

De jure nominandi moniales.

§. 449. 15. Præterea jus perpetuum nominandi ad occupandam sedem unius aut plerumque monialium in aliquo earum conventu, nulli concedatur nisi ratione fundationis, vel patronatus conventus, aut majoris cappellæ unam, vel duas tantum sedes perpetuas aliquando concedere expediat, quod de consensu et licentia definitorii fieri poterit, quin ultra dictum numerum valeat definitorium dispensare. Dispensationes a definitorio in suo triennio concessæ nisi a subsequenti confirmantur, extinctæ manent.

De admissione fundationum religiosorum, vel monialium.

§. 450. 16. Ad definitorium attinet fundationes omnes tam religiosorum, quam monialium admittere, aut deserere, et de uno loco in alium etiam intra idem oppidum transferre. In his autem consulatur provincialis illius pro-

vinciæ. Deincepsque non fundentur in uno oppido duo monasteria monialium, nec religiosorum, etiamsi alterum sit collegium, neque in hoc possit definitorium dispensare. Potest tamen applicare conventus unius provinciæ alteri, præcedente consilio provincialium ad quos spectat.

De jure corrigendi culpas gravissimas, et expellendi incorrigibiles.

§. 451. 17. Potest etiam corrigere, et punire eam culpam, quæ secundum nostras constitutiones reputatur gravissima: potest incorrigibiles, et eos qui juxta ordinis leges talem promerentur pœnam expellere, et eorum causas judicare. In causis nullitatis professionis servetur constitutio Benedicti XIV. quæ incipit = *Si datam hominibus fidem* =. Volumus etiam, ut quoties sufficienter apud definitorium constet, provinciales in recta sui muneris administratione, in morum honestate, aut sui officii debita executione deficere, aut alias remisse in rebus gravibus se gerere, tunc definitorium teneatur (quod strictè præcipimus observari, oneramusque super hoc tam patris generalis, quam definitorium conscientias) visitatorem idoneum, et qui non sit suæ provinciæ conventualis pro visitatione illius provincialis mittere, qui causam definitorio deferat, ut de opportuno remedio, et correctione secundum rei exigentiam, et culpæ qualitatem provideat.

De jure concedendi religiosis facultatem ad missiones, congregationes, et monialibus licentiam transeundi de uno ad alium conventum.

§. 452. 18. Præbere facultatem religiosi eundi ad conversiones, seu ad missiones, nec non Romam, et ad Italiæ, aut Lusitaniæ congregationem; insuper moniales de uno conventu in alium in casibus a jure permissis, mutare, seu ad id licentiam præbere, quod in absentia g. generalis non fiet. Sed si in aliquo conventu, alia ex aliqua domo eligatur priorissa, provincialis de consensu p. generalis eam ad id munus mittere poterit: servatis tamen in his omnibus tam a concilio Tridentino præscriptis, quam a constitutionibus apostolicis erga clausuram monialium emanatis.

De concessione juris patronatus, vel sepulture.

§. 453. 19. Jus patronatus conventus, vel majoris cappellæ, aut cujusvis ejus partis, sive altaris collateralis, vel sepulture in ipsa perpetuo habendæ secularibus, aut quibusvis aliis personis in ecclesiis religiosorum, vel monialium permittere, seu concedere. Et etiam nobilibus feminis impetrantibus facultatem apostolicam ad ingrediendum monasteria monialium, quando in dicta facultate consensus prælatorum requiritur, et quando expressam

obedientiam, et mandatum non continet, assensum præbere, id ipsum potest p. generalis. Tribunas vero, seu fenestras cum aditu ad ædes sæcularium in conventibus, seu ecclesiis tam fratrum, quam monialium, nec capitulum, nec definitorium generale concedere potest non præcedente ad id indulto auctoritate apostolica concessa.

De facultate  
imprimendi li-  
bros.

§. 454. 20. Concedere facultatem imprimendi libros, sine qua nullus id audeat facere sub pœna privationis ab officio, et vocis activæ, et passivæ per duos annos. Cæterum priusquam facultas concedatur, liber cum omnibus prælo mandandis definitorio exhibendus est; cui omnino erit, illum duobus censoribus ad minus secreto committere, qui maturo iudicio et congrua doctrina pro libri materia poleant, quorum saltem unus sit in theologia scholastica peritus. Illis sub præcepto injungatur, ne censuram, aut castigationes, si quæ sint alicui extra definitorium manifestent: nec non sub eodem præcepto tam ipsis quam auctori interdendum est aliquod in libro post adeptam facultatem addere, minuerve, aut quoquomodo mutare absque expressa licentia definitorii. Cui tandem jam typis excussus offeratur, ut iudicet, an ab originali dissentiat nec ne.

De distribu-  
tione expensarum  
in toto ordine.

§. 455. 21. Distributiones in toto ordine facere pro expensis, quæ se obtulerint tam p. generali quam definitorio, aut pro aliis ad commune bonum religionis spectantibus. Poterit etiam definitorium in toto, sive in parte provinciis ultra marinis, sive extra Hispaniæ fines existentibus committere, ut provincialis, et definitorium illius provinciæ servata forma et proportione definitoris generalis quoad fieri possit, negotia suæ provinciæ ad definitorium generale spectantia decernant. Hæc et omnia, et alia, quæ in nostris constitutionibus definitorio committuntur ad ipsum tantum spectabunt.

Monitum ad  
definitores, et  
ordinis superio-  
res.

§. 456. 22. Hortamur deinde definitorium, et omnes ordinis superiores, ut quoties ad ipsos religiosi de suis prælatis immediatis, aut de aliis querelas moveant, aut eis detrahant, imponantve aliquid, ne contra inauditam partem aliquid asseveranter credant, seu decernant, et religiosis ac monialibus ordinis tam subditis, quam prælatis præcipimus, ne in rebus ad alios prælatos pertinentibus ad definitorium recurrant. Si quis vero omissis debitis circumstantiis ad illud recur-

rerit pro qualitate culpæ suæ omnino puniatur.

§. 457. 23. Strictè præcipimus omnibus, et singulis definitoribus ne perse, aut in definitorio aliquid agant, aut exequantur extra ea, quæ hic, et in nostris constitutionibus expresse eis committuntur. Neque aliud unquam negotium, vel causam ad se advocare poterunt. Quod si secus fecisse constiterit, tempore visitationis juxta gravitatem defectum dure corripiantur. Et quando aliquid in definitorio decretum fuerit non poterit iterum proponi, aut revocari, absente aliquo eorum, qui quando primum decretum fuit ibi adfuit. Imo neque adhuc si adsint omnes, qui in primo decreto fuerant præsentès poterit illum iterum proponi, nisi concurrentibus tot suffragiis, quot ad dispensationem aliquam requiruntur.

De non facien-  
dis a definito-  
ribus.

§. 458. 24. Non poterunt definitores suas vices p. generali soli, vel ipsi cum aliis adjunctis, aut sociis absolute committere, nisi tantum pro peculiaribus casibus, quando tendant ad visitandam aliquam provinciam, vel domum, et juxta ejus exigentiam, et negotia, quæ in ea evenire probabiliter possunt: exceptis conventuum fundationibus, aut eorum derelictione, depositione provincialis, fratrum ab ordinis expulsionè, et etiam dispensatione legum, et ordinis constitutionum. Hæc enim omnia et singula semper per definitorium decernenda sunt.

Idem ut supra

§. 459. 25. Monemusque tandem, ut tam p. generalis, quam ipse cum definitorio, quancumque expedire iudicaverit alicui provinciali, aut omnibus instructionem mittat de iis, quæ ad spirituales sui, vel subditorum profectum, quietem, et bonum regimen, suæ reformationem spectant, commendans omnibus, ut quæ in ea continentur, introducere, et exequi ubi, et quando opus fuerit, vel eis in dicta instructione injungitur tota contentur diligentia. Cum enim omnia in legibus includi nequeant expresse hoc convenientissimum iudicamus.

Monitum spe-  
ciale.

§. 460. 26. Definitorii decreta de quibus oporteat aliquam memoriam remanere, in libro definitorii scribantur coram omnibus, et in ipsa sessione in qua decreta sunt, aut antequam ad aliam deveniatur, subscribantur a p. generali, primo defensore, et secretario, quæque executioni mandanda sunt per patrem generalem illico expediantur. Si vero in his exequentis

De decretis  
definitorii in  
libro regestran-  
dis.



p. generalis remisse se gerat, præmissa humili animadversione, si adhuc exequi omittat, duo ex primis definitoribus appositis suis subscriptionibus, et secretarij, et sigillo definitorii libere exequantur. Et tandem declaramus quod quoadcumque in nostris constitutionibus nominatur definitorium absolute, et sine alio addito, definitorium generale ordinis intelligendum est. Idemque iudicium sit de definitoribus: cum hoc nomen sine alio adjuncto in constitutionibus refertur.

## APPENDIX

*Ad paragraphum præcedentem*

Definitorii facultates super dispersas in diversis capitulis horum constitutionum

§. 461. Quia plures facultates definitorio generali commissæ ultra relatas in præcedenti §. per diversa harum constitutionum capita dispersæ inveniuntur eas in unum congerere visum est, ut in ictu oculi omnes circumscriptæ videantur, et nemo queat illarum terminos per equivocationem transgredi, aut confusionem parere.

Imponere potest præceptum toti, aut majori parti capituli generalis, sicut definitorium provinciale capitulo provinciali.

Ejus requiritur consensus ad admittendos in conventibus annuos redditus ratione fundationis, aut patronatus.

Potest dispensare, ut plures quam in lege permittuntur valeant e domo egredi.

Concedere licentiam ad admittendas confraternitates sæcularium in conventibus.

Ut veri prælati, et pastores debent paternale regimen exercere hortando per epistolas, et si opus fuerit, etiam evellere abusus, quorum cognitio definitorio per constitutiones committitur, eorum auctores deterrendo.

Admittere laicos ad habitum est privativum definitorii.

Admittere donatos ad solemnem professionem spectat disjunctive ad definitorium, vel ad patrem nostrum generalem.

Ad definitorium attinet licentiam concedere, ut in eremis recipere possint stipeudia missarum, quando id necessarium existimet ad congruam eremi sustentationem.

Consensum præbere, ut eremorum visitatores bona eorum superflua in conventus pauperes distribuant.

Declarare, et decidere dubia circa habilitatem, vel inhabilitatem vocalium capituli generalis occurrenceia.

Designare duos ex gremialibus capituli generalis ad aperiendas epistolas ad capitulum directas.

Congregare capitulum generale extraordinarium in casu necessitatis.

Confirmare electiones capituli præter electionem generalis.

Declarare, et decidere dubia circa electiones occurrenceia.

Electiones procuratorum generalium facere quando hæc officia vacaverint intra sexennium.

Bullas, et privilegia Romæ ordini concessas revisere, ut executioni mandentur.

Designare conventum in casu necessitatis, et ex urgente causa ad celebrationem capituli provincialis.

Confirmare acta capituli provincialis.

Admittere renunciationem p. generalis, extra capitulum factam: eligere vicarium generalem in casu renunciationis, aut mortis p. generalis, et convocare tunc capitulum extraordinarium ad electionem novi generalis.

Eligere vicarium generalem casu quo p. generalis exierit de Hispania.

Inquirere etiam cum præcepto formali, quando opus fuerit de culpis p. generalis, aut definitorium.

Mittere visitatorem extraordinarium in provincias pro casibus a lege præventis.

Instructiones, et patentes literas dare procuratoribus generalibus.

Admittere fundationes novorum conventuum, et antiquos deserere.

Approbare capitulum provinciæ sancti Alberti in regno Mexicano, et visitationem illi provinciali factam examinare, et inspicere.

Concedere licentiam, ut aliquis religiosus provinciæ sancti Alberti veniat in Hispaniam.

Definitivam ferre sententiam in causis a procuratore generali Romæ contra apostatas formatis, et in visitatione dicto Romæ procuratori a suo successore facta.

Hæc sunt facultates definitorio generali commissæ, quas transgredi nec decet, nec licet, foretque majori correctione dignum.

## CAPUT SEXTUM

*De officio, et authoritate patris nostri generalis.**De patre generali, ejusque electione.*

§. 462. 1. Nostra congregatio ab uno debet superiore gubernari, qui generalis vocabitur: in capitulo generali eligetur: per sexennium in officio durabit, et dotibus in cap. 2. harum constitutionum in p. generali requisitis, ornatus sit.

*De jurisdictione ejusdem.*

§. 463. 2. Huic reverendo admodum p. n. generali tamquam patri, ac universali totius ordinis pastori, volumus, præcipimus, et mandamus, ut omnes tam religiosi, quam moniales, omni cum subjectione, et humilitate obediant, et debitum exhibeant honorem, et reverentiam.

*De munere patris generalis.*

§. 464. 3. Pater generalis in toto ordine universalem habet potestatem, tam jure, quam pontificum privilegiis, nostris, et aliarum religionum generalibus concessis, dummodo nostris constitutionibus non limitetur, præcipuaque ad eum totius ordinis cura, et administratio spectat. Quare invigilare maxime debet, ut regularis disciplina eximie in omnibus vigeat. Unde ipse solus eam potestatem in toto ordine habet, quam provincialis in sua provincia, et prior in suo conventu; et insuper eam, quæ ratione sui officii ex jure communi, ex privilegiis, et ex nostris constitutionibus ad eum pertinet. Sed sicut supra dictum est inferiorum ministerio non se immisceat, nisi vel ob eorum defectum, vel cum prudentia, et ratio id postulaverit. Semper tamen inferiores parere teneantur. Si vero in hoc excesserit cum omni reverentia defensores eum commonefaciant, vel tempore suæ visitationis de hoc humiliter corrigatur. Nunquam tamen pater generalis insciis provincialibus contra ea, quæ ipsi fecerint aliquid ordinabit.

*De veto p. generalis in capitulis, et definitorio.*

§. 465. 4. In omnibus capitulis, ac definitoriis provincialibus, ubi pater generalis inventus fuerit, cum voto decisiivo præsideat, et in definitorio proponat etiam ea omnia, quæ sibi visa fuerint ex his, quæ ad illud definitorium pertinent: exequi tamen teneatur id, quod in eo fuerit determinatum, et adstringatur omnia alia servare, quæ ad præsidentes capituli provincialis pertinent.

*De visitatione ab eo facienda.*

§. 466. 5. Pater generalis in suo sexennio debet omnes Hispaniæ provincias semel saltem visitare per se,

*Bull. Rom. Tom. VII.*

vel ipso impedito per visitatores ab eo designandos, qui qualitates habeant a nostris constitutionibus requisitas.

§. 467. 6. Ad patrem generalem spectat religiosos de una in alteram provinciam transferre, et confraternitatis literas in toto ordine concedere, in eo præsidere, et similiter in definitorio, et quæ ibi agenda sunt proponere, et quæ decreta fuerint executioni mandare, et omnino alia, quæ in nostris constitutionibus ordinantur, decernere, aut exequi.

*De jure transferendi religiosos de una in aliam provinciam.*

§. 468. 7. Item licentiam præbere ut matronæ nobiles habentes indultum apostolicum, clausuram monialium ingrediantur, quando indultum requirit consensum prælatorum, et præceptum non continet, ut in ecclesiis fratrum, et monialium aperiantur tribunæ temporales, et ut puella, quæ expleto decimo quinto anno, ad decimum septimum non pervenit ad habitum religionis admittatur, eodem modo quo tria prædicta per nostras constitutiones conceduntur definitorio generali. Insuper potest generalis quicquid ei in nostris constitutionibus conceditur.

*Aliæ declarationes circa ipsius potestatem.*

§. 469. 8. Conventus autem in quo (nisi negotia, aut provincialiarum necessitas aliud exigat) pater generalis resideat, sit fere in medio ordinis, ut propter distantiam, et alias ejus circumstantias omnem religionem possit commodius inde gubernare, et omnes undecumque eum consulere, ad ipsumque licentia obtenta confugere valeant. Hortamurque patrem nostrum generalem, ne in regali curia diu immoretur, neque ad eam tendat, nisi propter manifestum religionis bonum propter inconvenientia, occupationes, et nimia negotia, quæ ibi suboriri, ut in plurimum, et inevitabiliter solent.

*De conventu in quo resideat pater generalis.*

## CAPUT SEPTIMUM.

*De definitoribus generalibus, et secretario definitorii.*

§. 470. 1. Defensores generales numero plures, nec pauciores erunt quam sex. Eligentur in capitulis provincialibus uniuscujusque filiationis, et confirmabuntur a definitorio generali, præter definitorem filium provinciæ sancti Alberti apud Mexicum, qui eligetur, et confirmabitur a capitulo suæ provinciæ, ut dictum est. Ordinem, et antiquitatem a definitoribus inter se servandam designare pertinet ad definitorium generale. De qualitatibus quibus

*De definitoribus generalibus.*

definitores ornatos esse oportet, dictum est supra cap. 2. §. 2.

De subjectione  
definitorum.

§. 471. 2. Definitores ubicumque sint p. generali erunt immediate subiecti, et appellari debent patres nostri in tota congregatione: sunt enim vero praelati superiores. Proximam p. generali sedem occupant, et omnibus praesident tempore definitorii; extra illud autem si in conventu adest p. generalis praecedunt loco priorem domus, et provinciales, sed non habeat praesidentiam prioris, et absente p. generali sedebunt post priorem domus, vel conventus, cujus regimini se immiscere non possunt. Eorum residentia erit in conventibus a p. generali ipsis designatis, et a frequenti residentia p. generalis, non nisi duorum, vel trium dierum itinere distantibus, et ubi possit commode scribere, et epistolas recipere pro ordinis, et sui officii negotiis.

De exemptionibus  
eisdem  
competentibus

§. 472. 3. In capitulis conventualibus non assistent, quamvis p. generalis illi praesit, nec in aliis communitatis actibus, in quibus conventuales suffragaturi conveniunt, neque eis culpa in refectorio a priore, aut zelatore imponantur.

De eorum praesentia in  
actibus communitatis.

§. 473. 4. Nunquam absente priore (nec praesente si tempus est definitorii) assistant definitores, nec praesideant, dum dicuntur culpa in refectorio. Absente priore ad definitorem spectat in communitatis actibus praesidere, et signum dare, non tamen praesidebit in conventu, neque illius regiminis in re, vel minima se introducet, sed neque aliquis praeter patrem generalem definitoribus ubicumque sint in communitatis actibus signum dabit.

De iure exeundi  
e conventu.

§. 474. 5. Definitores poterunt absente p. generali e domo exire cum socio sibi accepto, et cum sola notitia prioris, quia eorum exitus impedit, quod alii, qui secundum nostras constitutiones possunt exire e domo tunc egrediantur.

De iure scribendi  
litteras.

§. 475. 6. Liberum sit definitoribus, ubicumque fuerint, ad omnes sive religiosos, sive moniales, sive extraneos litteras mittere, ad ipsosque missas recipere sine notitia, et recognitione praelatorum, et quin adhuc p. generalis eas aperire, aut impedire possit. In omnibus conventibus, tam pro tempore definitorii, quam extra illud in omnium religiosorum cellas ingredi possunt, et religiosi in suas, extraneumque quemcumque libere alloqui; sed tempore silentii nil horum licebit.

§. 476. 7. Ubicumque definitores inveniantur, tam in absentia, quam in praesentia prioris conventus eadem venia, et reverentia ab omnibus religiosis exhiberi eis debet, quae priori domus tribuitur.

De reverentia  
eisdem debita.

§. 477. 8. Si aliquis definitor cum speciali commissione ad aliquod negotium mittatur, tunc ad definitorium spectabit, locum, et modum in omnibus servandum designare. Primus ex definitoribus in definitorio existentibus, absente p. generali in eo praesidebit, sed in tali casu, nec electio aliqua fiet, nec conventus alicujus fundatio admitteatur, aut deseretur, nec expulsionis ab ordine contra aliquem feretur sententia.

De specialibus  
commissionibus  
eisdem  
dandis.

§. 478. 9. Secretarius definitorii, qui, ut dictum est, easdem habere debet qualitates, quae in provincialibus desiderantur, durante suo officio, tempore definitorii sedebit immediate post ultimum definitorem; extra illud vero immediate post procuratorem generalem.

De secretario  
definitorii.

§. 479. 10. Tam definitores, quam secretarius definitorii visitabuntur a novo definitorio in hunc modum: paulo ante finitum definitorum officium p. generalis per se, vel per alium in conventibus, ubi definitores, et secretarius commorati fuerint, de eorum vita, et moribus imposito praecipito formali diligenter inquirat. Et si ex depositione testium, aut ex literis a religiosis, vel monialibus super id libere missis, aliquid animadversione, aut correctione dignum deprehendatur, notum fiat definitorio novo, ut p. generali praesidente, iudicium ferat, puniat, corrigat, aut absolvat, prout iustitia, et aequitas postulaverit.

De visitatione  
definitorum.

§. 480. 11. Definitores, et secretarius definitorii ab officiis cessabunt, ex quo novi definitores electi in capitulis provincialibus die a p. generali assignato ad praefixum ab ipso conventum pervenerint, et suorum officiorum possessione donentur, quod totum fiat intra duos menses plus minusve post capitulorum provincialium celebrationem.

De cessatione  
definitorum ab  
officio.

## CAPUT OCTAVUM

### De officio procuratorum generalium

§. 481. 1. Duo sint in ordine procuratores generales pro expediendis communibus congregationis negotiis, unus Romae, et alius Matriti, eligendi ambo in ca-

De numero  
procuratorum  
generalium.

pitulo generali, et per sexennium in officiis duraturi, nisi sponte illa dimiserint, aut culpas commiserint depositione dignas. De eorum dotibus, modo electionis, et reelectionis vitandæ dictum est in capitibus 2. et 3. hujus tertiæ partis.

De juramento ab eis præstando.

§. 482. 2. Præfati procuratores juramentum fidelitatis coram definitorio præstabunt, a quo literas patentes in debita forma accipient, et unusquisque cum sufficienti potestate possit respective tum Romæ, cum in Hispania, omnia negotia totius ordinis pertractare.

De iis, quæ Romæ præstare debent.

§. 483. 3. Romæ procurator in rebus ad universale ordinis regimen spectantibus non possit a Sede apostolica Bullam, aut Breve aliquod impetrare, vel favorem ad hoc præstare absque capituli generalis consensu, nec in cæteris ordinis negotiis ab instructione, et obedientia definitorii generalis discedat, aut sine ejus mandato impertinentibus ad religionem in communi aliquid faciat.

De iis, quæ Hispaniæ procurator servare tenetur.

§. 484. 4. Idem observet Hispaniæ procurator, cui stricte præcipimus, ne a principalibus sæcularibus contra ordinis bonum, et statuta per se, aut per alium querat.

De præcedentia eisdem debita.

§. 485. 5. Utriusque procuratoris literæ, tam ab ipsis ad alios, quam ab aliis ad ipsos missæ nequeant a prælatis, sive præsidibus conventuum, in quibus ipsi resident, legi aut aperiri. In sede, et loco uterque procurator, ubicumque sit, priores hospites antebit, Romanus autem etiam provinciales hospites.

De visitatione procuratorum generalium.

§. 486. 6. Procurator generalis Hispaniæ non subicitur visitationi provincialis, nec tenetur capitulis conventualibus interesse, nec in eis vocem habet, est tamen conventualis Matrili quoad suffragia. Poterit e domo exire cum socio a p. generali assignato; et de ejus licentia sumpta a prælato domus benedictione: nunquamque præsidebit in conventu, neque negotia particularium religiosorum expediet, nisi a respectivo provinciali ei commissa; et nullo modo sæcularium negotiis se immisceat, totius religionis bono unice intentus. In fine uniuscujusque triennii sui officii rationem generalem reddet novo definitorio de acceptis, et expensis, et de statu litium pendentium; excessusque rationum, si quis resultat in communis arcæ beneficium relinquat; nec tempore sui officii ultra triginta aureos (vulgo doblones) eosque nonnisi ex urgenti, ac gravissima causa

Bull. Rom. Tom. VII.

absque licentia p. generalis mutare alicui poterit.

§. 487. 7. Procurator generalis curiæ Romane poterit apostatas illuc accedentes ab excommunicatione, aliave censura, si forte incurrissent, absolvere, cui omnes religiosi nostræ congregationis illic commorantes, aut quoquomodo Romam declinantes obire teneantur. Si autem aliquis sine debita licentia Romam petivit, procurator curet eum in Hispaniam mittere nisi pro qualitate delicti eum in carcere detineri, aut aliquo opportuniori remedio uti oporteat.

De jure absolvendi apostatas a censuris.

§. 488. 8. Quando, et quomodo procurator generalis visitandus est dictum est supra cap. 4.

Monitum speciale.

## CAPUT NONUM

### De capitulo provinciali

#### §. I.

#### De tempore, gremialibus, et ordine capituli.

§. 489. 1. In unaquaque provincia celebrabitur capitulum de triennio in triennium die dominica tertia post Pascha quæ dicitur: *Deus qui errantibus*: sitque in conventu a definitorio provinciali in capitulo antecedenti designato (nisi definitorium generale ex juxta causa alium designaverit) qui quantum fieri potest a sæcularium strepitu remotus sit. Provincialis tempore convenienti gremiales ad capitulum convocet, qui et si vocati non fuerint, teneantur nihilominus designato die ad capitulum accedere.

De tempore celebrationis capituli.

§. 490. 2. Gremiales suffragaturi in eo sint p. provincialis, definitores provinciales, priores conventuum, vel vicarii canonice electi, aut superior, vel superiores in casu, quo prior, aut priores conventuum gravi infirmitate, vel morte præventi non possint ad capitulum accedere; dummodo superior testimonium prioris, et clavarium de infirmitate prioris, et si iste obierit, clavarium de illius obitu deferat. Quando prior tendit ad capitulum provinciale, vel generale superior præsidebit in conventu, nisi provinciali ex justa causa aliud videatur, et superiore deficiente designabit prior unum ex sacerdotibus confessoribus conventus, ut præsideat: duo etiam socii electi ad capitulum generale, et quatuor

De gremialibus capituli.

eorum substituti, qui omnes vocem habebunt, quamvis in capitulo generali non steterint, nec sint priores. Ultra dictos nullus admittetur, nisi p. generalis, si adsit, aut visitator a p. generali ad visitandum missus, si tempore capituli ibi adest. Quo in casu, tam p. generalis, quam visitator vocem habeant in electionibus, et in cæteris, quæ in capitulo agenda sunt.

De ordine sedendi in capitulo.

§. 491. 3. Quoad sedem gremialium attinet, primo loco sedebit provincialis, secundo definitores, donec novus provincialis recenter electus. Primo loco provincialis officio functus secundq, definitores novi tertio juxta ordinem suæ electionis sedebunt: quarto loco definitores præcedentes, quinto priores, seu vicarii juxta ordinem antiquitatis conventus, sexto duo socii capituli generalis, et eorum substituti juxta ordinem suæ graduationis, et ultimo superiores si adsint. Omnes isti tempore capituli, tam intra, quam extra aulam capitularem eundem servabunt ordinem, ante omnes conventuales sedebunt, et illis præsidebunt, sed gubernatio conventus non ad illos, sed ad proprium priorem pertinet.

De testimonio a prioribus præbendo in capitulo.

§. 492. 4. Singuli ex prioribus deferent ad capitulum, et in prima die offerent defensorio testimonium a tribus conventus clavariis signatum, et clausum, in quo sub juramento exponant, primo an prior missarum onera, tam perpetua, quam manualia adimpleverit, nec ne? secundo si gravavit ære alieno conventum, et qua de causa? tertio, si invenit illum gravatum, quanta summa, et a quo tempore? quarto qualiter in conventus administratione se gesserit, sive in conservatione bonorum, sive in providendo religiosis de necessariis, maxime ægotis, et non augmenta aliqua de novo fecerit? quinto si munus suum juxta nostras constitutiones implevit? juramentum solum exigitur pro missarum adimplerione.

De poenis contra priorem qui missas non celebratas reliquit.

§. 493. 5. Si ex testimoniis deprehenditur legitime priorem aliquem tantas missas adimplendas reliquisse, quibus intra unum mensem satisfieri non possit, statim a defensorio ejiciatur de capitulo, et voce activa, et passiva juxta decretum Urbani VIII. privati, aliis etiam poenis ad arbitrium defensorii puniatur.

De aliis culpis et poenis priorum intelligendis.

§. 494. 6. Quamvis autem missarum onere non sit gravatus, si tamen in aliis prædictis graviter deliquisse constet non ejiciatur a capitulo, sed

corripietur, et poenam luet juxta qualitatem culpæ; nisi jam de ea fuerit in visitatione correctus, et post visitationem non deliquerit.

§. 495. 7. Priores, aut vicarii deferent etiam ad capitulum copiam religiosorum, qui eo triennio in suo conventu decesserunt, et omnium ordinis defunctorum, pro quibus in eo conventu facta sunt suffragia: omniumque religiosorum, tam professorum, quam novitiorum sui conventus eorum qualitatibus, et circumstantiis, scilicet, unde sunt oriundi, ubi professi, quot annos ætatis, aut professionis habent: si sint confessarii, aut prædicatores. Hanc rationem de omnibus religiosis suæ provinciæ secundum ordinem conventuum, provincialis ad patrem generalem tempore generalis capituli defert.

De examine qualitatum religiosorum.

§. 496. 8. Omnes vocales conveniant ad conventum pro celebrando capitulo designatum, feria sexta præcedenti dictam dominicam: *Deus qui errantibus*: et non antea. Si provincialis, vel morte præventus, vel ob aliam causam, statuto die non accesserit, defensorium provinciale eligat capituli præsidem, qui adveniente provinciali cessabit, et provincialis præsidentiam, vel locum tempore adventus sibi ex officio debitum assumet.

De præside capitulo.

§. 497. 9. Vespere dictæ feriæ sextæ provincialis cum suo defensorio aliquem ex vocalibus in capitulo secretarium eliget, qui statim juramentum fidelitatis præstabit, sicut de secretario capituli generalis dictum est, deinde congregatis in unum vocalibus, a provinciali, et defensoribus examinatur, an omnes sint legitime gremiales; peractoque examine interrogabit præses, a gremialibus an in aliquo ipsorum impedimentum noverint, propter quod non debeat capitulo interesse? Si repertiatur, et sufficienter probetur in aliquo ex eis impedimentum adesse canonicum, illico declaretur, et ejiciatur a capitulo; sin autem procedatur ad ulteriora, statimque a capitulo designentur duo fratres, qui schedulas pro eligendis scribant, et cætera serventur, quæ super hoc præscripta manent in cap. 1. num. 2. hujus tertie partis. Neque omittatur in capitulo provincialis sessionibus lectio apostolicarum constitutionum, quæ legi debent juxta decretum Sanctæ Romanæ, et universalis Inquisitionis diei 19. aprilis 1629. quod incipit = *Sanctissimus Dominus Noster* = quod fiet etiam in quavis alia

De electione secretarii capitulo.

electione patris provincialis, aut vicarii provincialis.

De electione  
statutorum a  
secretario fa-  
cienda.

§. 498. 10. Deinde alta voce a secretario legantur, et attente ab omnibus audiantur tria prima capitula hujus tertiæ partis, ne quid memoria excidat, utque omnia in eis præscripta serventur in electionibus, et cæteris quibuscumque. Postmodum præses exhortans omnes ad rectitudinem intentionis, et justitiam in electionibus servandam, et rei gravitatem sine ullius nomine expresso, nec indicato, ponderans, præstitoque ab omnibus juramento de eligendis, quos in conscientia judicaverint digniores juxta ss. Urbani VIII. decretum, sequentem designabit diem pro electione provincialis, et quatuor definitorum, nec non et definitoris generalis, si tunc ad illam provinciam attineat.

De electione  
patris genera-  
lis.

§. 499. 11. In his, et aliis electionibus faciendis idem ordo servabitur, qui pro electione p. generalis designatur in cap. 4. hujus tertiæ partis, et quidquid in eo stabilitur, volumus; ut transferatur ad capitulum provinciale proportionem servata.

De aliis elec-  
tionibus in  
capitulo fa-  
ciendis.

§. 500. 12. Ex omnium consensu, et approbatione statuimus, ut deinceps fiant in capitulis provincialibus electiones sequentes. Provinciales, definitores generales, definitores provinciales, duo socii, et quatuor substituti ad capitulum generale, priores conventuum, et magistri novitiorum, eorumque socii.

## §. II.

### *De provincialis, definitorum, et aliorum electionibus.*

De electione  
provincialis.

§. 501. 1. Sabatho primo mane missa sollemnis de Spiritu Sancto, assistentibus cunctis gremialibus pro felici capituli exitu cum cantu celebrata, quod idem eodem die in omnibus provinciæ conventibus fiet, statim non expectatis amplius absentibus, electores in aulam capitularem convenient, ubi dicto hymno = *Veni Creator Spiritus* = Præses per se vel per alium brevem concionem ad capitulum habebit, absolvetque vocales a censuris, et impedimentis, ad cauthelam; quo facto ad eligendum provincialem procedent, modo, et ordine pro electione p. generalis stabilitis. Suffragia scrutabuntur a defensorio juxta formam ibi præfixam, factaque electione, statim publicabitur, et præses cum defensorio

non expectatis viginti quatuor horis, et recedente paululum provinciali noviter electo, quærentemque præside sub præcepto a singulis gremialibus anoveant in provinciali noviter electo aliquod impedimentum canonicum, quod ejus obstet confirmationi: si nullum inveniatur, illico eum confirmabunt. Tuncque inchoante antiquiore cum cantu hymnum = *Te Deum laudamus*, provincialis electus in ecclesiam, aut chorum processionaliter deducatur, ubi omnes ei obedientiam præstabunt.

§. 502. 2. Finito hoc actu, gremiales redeant ad capitulum, ut ante prandium eligant primo definitorem generalem si illa provincia habitura sit definitorem triennio sequenti, et immediate post quatuor definitores provinciales, qui eligentur seorsim, et primo electus erit primus defensor, secundo secundus, tertio tertius, et quarto quartus, et secundum hunc ordinem sedebunt, et se præcedent tam intra, quam extra defensorium.

De electione  
definitoris ge-  
neralis, et de-  
finitorum pro-  
vincialium.

§. 503. 3. Si defensor generalis electus fuit, publicetur ejus electio, sed non confirmabitur, quia ejus confirmatio spectat ad defensorium generale. Sed definitorum provincialium electiones publicabuntur, et confirmabuntur statim, confirmatioque fiet eodem modo quo confirmatio provincialis facta est.

De publicatio-  
ne electionum  
factarum.

§. 504. 4. Si aliquis ex defensoribus provincialibus noviter electis sit absens, capitulum eliget ex gremialibus substitutum, qui ejus vices suppleat in defensorio ubi ultimum locum tenebit, donec defensor accedat; qui si durante capitulo pervenerit, locum sibi debitum occupabit, et in reliquis capituli actibus suffragabitur. Si provincialis aut alius quilibet ex electis a capitulo, ipso durante, officium renunciet, renunciationem admittere, et novam facere electionem spectat ad capitulum. Post definitorum electionem nihil superest illa die a capitulo agendum.

De electione  
substituti de-  
finitorum pro-  
vincialium.

§. 505. 5. Dominica sequenti festum patrocinii S. P. N. Joseph cum missa sollemni, et concione, assistentibus capitularibus, celebrabitur, et feria secunda agatur de cæteris electionibus faciendis, incipiendo a sociis, et substitutis ad capitulum generale designandis.

De cæteris  
electionibus fa-  
ciendis.

§. 506. 6. In qualibet provincia eligentur duo socii ituri ad capitulum generale, præter eam de qua sit pro-

De electione  
sociorum mit-  
tendorum ad  
capitulum ge-  
nerale.

curator generalis Hispaniæ; qui est primus socius natus suæ provinciæ, ac proinde hæc non debet, nisi unum socium eligere.

De qualitatibus sociorum.

§. 507. 7. Duo hi socii seorsim eligentur, qui qualitates habeant in cap. 2. hujus tertiæ partis ad hujusmodi officium requisitas, servatis in eorum electione omnibus, quæ ad electionem canonicam desiderantur. Primo electus erit primus, et secundo secundus. Idemque erit de quatuor substitutis, qui cum eisdem qualitatibus sunt immediate post socios seorsim eligendi, et juxta ordinem suæ electionis graduationem servabunt primi, secundi, tertii, et quarti. Sociorum, et substitutorum electio statim publicabitur, nec indiget confirmatione.

De munere sociorum.

§. 508. 8. Sociorum munus est vocem totius provinciæ ferre ad capitulum generale, et nomine illius tam in electionibus, quam in aliis quibusve in capitulo agendis consilium dare, et suffragium. Substituti sunt eorum vicesgerentes, qui in defectu sociorum provincialis, vel definitoris generalis suæ provinciæ debent ad capitulum accedere cum plenitudine facultatum, quibus ille pro quo subrogatur assisteret.

De iis, qui ad capitulum generale venire debent.

§. 509. 9. Et quia ex unaquaque provincia ex octo, quæ sunt intra Hispaniam, quatuor debent suffragia ad capitulum concurrere, decernimus, ut ex provincia, quæ habet definitorem generalem proficiscantur ad capitulum provincialis, duo socii, et primus substitutus, qui in conventu itinere unius diei a domo capitulari distante morabitur, ut in defectu alicujus ex quatuor suffragiis suæ provinciæ possit opportune ad capitulum accedere. Si autem provincia definitore generali careat, venient ad capitulum, provincialis, duo socii, et primus, et secundus substituti, ex quibus substitutus secundus manebit in conventu a domo capitulari, ut dictum est dissito, et alii quatuor ad capitulum accedent. Si evenerit quod socii et substituti omnes alicujus provinciæ defecerint, tunc definitorium provinciale providebit.

De literis testimonialibus eisdem concedendis.

§. 510. 10. Socii, et substituti iturri ad capitulum generale deferent literas testimoniales suæ electionis, et commissionis ab omnibus gremialibus subscriptas, quæ sint tenoris sequentis.

Tenor litterarum patentium.

§. 511. 11. Reverendis in Christo patribus, p. n. generali, et definatoribus generalibus capituli, anno N. et die N. in festo N. in conventu N. ce-

lebrandi ordinis Discalceatorum beatæ Dei genitricis Mariæ de Monte Carmelo, et cujusvis alterius generalis capituli, si ante vel post celebrari contingat usque ad capituli provincialis venturi congregationem, sui humiles filii, et subjecti, defensores, et ceteri fratres de gremio capituli provincialis provinciæ N. in conventu N. ejusdem ordinis, in festo N. anno N. et die N. celebrati, obedientiam debitam, et Sancti Spiritus consilium in agendis. Venerandæ discretioni vestræ pateat evidenter, quod cum nos in dicto loco, et tempore pro prædicto capitulo nostro celebrando, ad electionem sociorum p. provincialis iturri ad capitulum generale supradictum, procederemus, nemine indebite excluso, vel admissio, p. frater N. primus, vel secundus socius, aut primus, vel secundus, vel tertius, vel quartus substitutus fuit canonicè electus: cui sic electo damus licentiam, et auctoritatem nostram, atque potestatem eligendi, definiendi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto capitulo generali, quæ facere possemus, si omnes præsentibus essemus: ratum, et gratum habentes, quod per eundem factum fuerit. Datum, et actum loco, temporeque quibus supra. In quorum testimonium sigillum commune nostræ provinciæ præsentibus est impressum.

§. 512. 12. Portent etiam socii copiam a toto definitorio subscriptam, et capitulo generali exhibendam eorum, quæ definitorium provinciæ decreverit.

De copia a sociis exhibenda.

§. 513. 13. Post sociorum, et substitutorum electionem procedatur statim ad priores conventuum eligendos, incipiendo ab antiquiori domo, et deinceps suo antiquitatis ordine usque ad novissimum, servatis forma electionis, et qualitatibus eligendorum in capitibus 1. 2. et 3. hujus tertiæ partis stabilitis.

De electione priorum conventualium.

§. 514. 14. Facta ergo et publicata singulorum priorum electione, de illis confirmandis curabitur. Ad quod capituli præses præceptum capitularibus imponet, ut intra viginti, et quatuor horas ante definitorium denuntient si in recentè electis aliquod noveriat impedimentum canonicum, propter quod non sint confirmatione digni. Si igitur de aliquo impedimenta hujusmodi legitime probentur, non confirmabitur, sed alius ejus loco eligetur.

De confirmatione electorum.

§. 515. 15. Hi vero, quibus nullum probatur impedimentum canoni-

Tenor confirmationis.

cum per secreta definitorii suffragia ad confirmationem de jure approbentur, statimque a præsidente capituli confirmantur in hunc modum. Ego N. in nomine meo, et totius capituli confirmo te, vel vos heri in officium prioris electos. Qui confestim professionem fidei a concilio Tridentino præscriptam coram capitulo facient, idemque omnes in capitulo electi immediate post sui electionem, vel post confirmationem si ea indigent exequentur; et similiter omnes electi, tam in capitulo generali, quam in definitoriis si ibi adsint, sin minus tempore ipso quo officiorum possessionem assumunt. Peracta priorum electione, eligentur magister novitorum, et ejus socius, canonice quidem sed absque confirmatione. Cum quo de electionibus a capitulo faciendis actum est.

De literis capitulo missis publice legendis.

§. 516. 16. Post electiones, et non ante literæ capitulo directæ publice aperiantur, idemque fiet cum epistolis ad definitorium provinciale missis, quæ non nisi in definitorio, et post electiones, si quæ tunc ab ipso faciendæ sunt aperiantur. Quæ autem subscriptione carent, cæcæ vulgo dictæ, nullatenus legantur, sed coram capitulo illico minutatim dilacerentur.

### §. III.

*De statutis, et ordinationibus, et aliis a capitulo usque ad ejus absolutio- nem agendis.*

De reformatione statutorum

§. 517. 1. Absolutis electionibus, ad capitulum provinciale spectat de reformatione agere, et si opus fuerit, acta, siue sanctiones, toti provincie, siue ad promovendam perfectionem, siue ad extirpandos abusos stabilire. Hæc autem quam raro, mature, et non nisi urgente necessitate, et concurrentibus tribus ad minus ex quatuor partibus, suffragiorum, et non aliter fiant. Si quæ autem facta fuerint statim ad definitorium generale mittantur, neque executioni mandentur, nec vim obligandi habeant, donec ab eo sint confirmata. Hæcque durabunt usque ad sequens triennale capitulum, ubi nisi expresse confirmantur, expirant.

De iis, quæ in capitulo sunt proponenda.

§. 518. 2. Si aliqua alia in capitulo tractanda occurrant, p. provincialis per se, vel ad petitionem quatuor gremialium ea proponat. Ut vero maturius omnia decidantur, graviora dubia de una in aliam differantur sessio-

nem. Omnibus persolutis negotiis, fiet publice a singulis prioribus distincta de præcipuis suorum conventuum benefactoribus commemoratio, et consentiente capitulo per suffragia secreta in illius absoluteione, jam de capitulo provinciali actum est.

§. 519. 3. Postea definitorium designabit conventum, in quo sequens capitulum celebrandum sit, et facta a præsidente, aut ab alio spirituali exhortatione, omnes humiliter coram ipso sedente genuflexi suas culpas dicent ad exemplum præsidis, qui prius coram digniore capituli sedente genuflexus, cæteris stantibus, idem facere debuit.

De designatione conventus pro nova celebratione capituli.

§. 520. 4. Quibus peractis omnes a provinciali disciplinam, et absoluteionem a censuris cum indulgentiarum concessione accipiant. Die sequenti missa solemniter defunctorum cum concione, et responsorio celebrabitur, sicut pro capitulo generali statutum est. Et tandem redeuntibus ad capitulum gremialibus, leget secretarius quidquid a capitulo actum fuit, et transcriptum est ad librum provincie, quem omnes subscribent. Quo facto agatur de visitandis provinciali, secretario, et definitoribus præteritis.

De absoluteione a censuris accipienda.

§. 521. 5. Visitatio hæc est quasi appendix capituli, et fiet in hunc modum. Antequam capitulares discedant, provincialis noviter electus, vel si absit, primus definitor præceptum gremialibus imponet, ut coram se, et secretario, qui sit unus ex definitoribus a definitorio eligendo deponant quidquid in provinciali præterito noverint animadversione dignum, similiterque de secretario provinciali, et definitoribus officio functis. In his visitationibus servabuntur omnia, quæ de visitatione p. generalis dicta sunt cap. 4. §. 6. nostrarum constitutionum; quod totum insertum hic esse volumus; ita ut, quæ ibi a generali, et definitorio generali faciendæ præscribuntur, hic provincialis, et definitorium provinciale exequantur.

De speciali visitatione.



## CAPUT DECIMUM

*De definitorio provinciali,  
et de ejus auctoritate*

## §. I.

*De forma, et tempore illud celebrandi*

De auctoritate  
definitorii provin-  
cialis.

§. 522. 1. Definitorium provinciale, quod extra capitulum nullius hucusque apud nos erat roboris, et nullis fugebatur facultatibus, in tribunal stabile, et permanens, primam post capitulum provinciale, tam intra quam extra illud habens auctoritatem exigere, et committere operæ præteritæ duximus, et decernimus ad instar definitorii provincialis, quod nosmetipsi pro nostra sancti Alberti provincia apud Indos semper probavimus, et ab initio ratum habuimus.

De componen-  
tibus hoc defi-  
nitorium.

§. 523. 2. Hoc definitorium componi debet ex p. provinciali, ex quatuor definitoribus cui adsit secretarius ab ipsis electus, qui potest esse unus ex definitoribus, vel alius religiosus tali munere dignus, et juramento fidelitatis adstrictus sicut de secretario definitorii generalis dictum est.

De congrega-  
tione definito-  
rii provincialis

§. 524. 3. Nullus definitor sit simul prior, aut vicarius alicujus conventus, nec præses hospitii, ut Deo, et sui officii adimpletionem tantummodo vacet. Definitorium bis in anno, sexto quoque mense a celebratione capituli computando congregabitur, nec durabit pro singulis vicibus ultra octo dies, nisi necessitas, aut negotiorum multitudo aliud exigat, ad arbitrium definitorii, concurrentibus quatuor ex quinque suffragiis, et celebrabitur in conventu a p. provinciali de consilio definitorum assignato. Hæc autem designatio fiet de uno in aliam definitorium, ut facile constare valeat, quo opportune possint omnes religiosi suos iudices, et parentes adire.

De extraordi-  
nariis congrega-  
tionibus.

§. 525. 4. Provincialis ex urgenti causa poterit definitorium extraordinarium bis tantum in triennio congregare. Ultra duas has vices nullatenus definitorium celebrabitur, nisi in casu adeo urgenti, ut quatuor ex componentibus definitorium illius congregationem petierint. Si tempore ad definitorium ordinarium, aut extraordinarium assignato p. provincialis, aut aliquis definitor tempestive per literas a provinciali vocatus, statuta die non ac-

cedat, expectatis octo diebus, si id quatuor adstantibus videatur, sin autem statim substitutum eligant aliquem ex prioribus, qui vocem in definitorio ferat usque ad proprietarii adventum.

De numero  
suffragantium.

§. 526. 5. Nullum declaramus definitorium, in quo non sint quinque suffragatores, et cui non adsit secretarius juramento fidelitatis ligatus. Quapropter nec provincialis, nec definitorium valeant aliquem definitorem ita occupare, ut nequeat omnino sessionibus assistere. Si autem tempore definitorii aliquis ex quinque vocalibus infirmari contingat, et urgeat sessionem habere, accedet ad definitorium prior domus, in qua celebratur, ut pro infirmo vocem ferat, et si duo, aut tres infirmetur, vocentur totidem priores ex vicinioribus conventibus juxta ordinem distantiae, et si distantia sit eadem præferatur conventus antiquior.

De modo pro-  
cedendi in suf-  
fragiis ferendis

§. 527. 6. Quidquid in definitorio decidendum est per secreta fiet suffragia calculis albis, et nigris exprimenda præter electiones, quæ per schedulas fient juxta formam in cap. 1. §. 1. præscriptam servando in cæteris quod de definitorio generali ibi dictum est, proportionem servata, ita ut quando in definitorio generali requiruntur sex de septem suffragiis, in definitorio provinciali quatuor de quinque sunt necessaria.

De sessionibus  
habendis.

§. 528. 7. Incepto definitorio singulis diebus una saltem sessio habeatur, quæ per duas ad minus horas perduret, regulariter tamen sint duæ sessiones in unoquoque die cum eadem duratione, ut citius definitoria finiatur, nullaque sit dies sine sessione, nisi rarissime ex juxta causa p. provinciali indulgente.

De executione  
decretorum la-  
torum a defi-  
nitorio.

§. 529. 8. Quod a definitorio semel sancitum fuit, iterum non proponatur, absente aliquo ex definitoribus qui resolutioni adfuerunt, etiamsi quinarius numerus aliunde, et quomodocumque suppleatur: et p. provincialis teneatur illud executioni mandare, vel ipso nolente, aut minus remisse se gerente, curabit definitorium per suum secretarium compleri.

## §. II.

*De facultatibus definitorii provinciae*

§. 530. 1. Decernimus, et ratum fore præcipimus, ut definitorium provinciale sequentibus in posterum juri-  
bus, et auctoritate gaudeat.

De juri-  
bus de-  
finitorii provin-  
ciae.

*Idem ut supra* §. 531. 2. Ad ipsum privative spectat prælectores omnes tam philosophiæ, quam theologiæ pro omnibus provinciæ collegiis præmissa oppositione pro his obtinendis officiis in nostris constitutionibus stabilita, eligere, et designare. Conscientiasque eligentium oneramus, ut omni respectu collegii, nationis, aut amicitiae penitus postposito eos eligant, quos in sua conscientia, et coram Deo digniores invenerint: insuper, et magistrum professorum, ejusque socium, ad quorum electiones memores sint electores eorum, quæ in capit. 2. hujus tertiæ partis §. 2 num. 13 ad hæc numerata requiruntur. Potest tamen provincialis causa mortis, vel infirmitatis alios in dictis officiis substituere usque ad primum definitorium provinciale.

*Idem ut supra* §. 532. 3. Ad definitorium attinet magistros studentium, seu lectorum adjuutores pro omnibus collegiis casuum resolutores, seu conferentiarum monialium præsidēs, et unum ad minus prædicatorem pro singulis conventibus, excepta eremo, cum assignatione domus eligere, et quoad prædicatores præscribere singulis exercitia, quæ pro sui ministerii adimplerione agere debent.

*Idem ut supra* §. 533. 4. Omnes electiones intermediæ prælatorum, sive officiorum vacantium, quæ vel a capitulo provinciali, vel ab ipso definitorio in primæ sui institutione fieri solent, spectant ad definitorium provinciale, excepta electione provincialis, quæ semper debet fieri a capitulo; potest tamen definitorium, et debet eligere vicarium provincialem, quoties provincialis defecerit, vel renunciaverit. Renunciationem factam extra capitulum a provinciali, vel deficiente generali admittere est proprium definitorii generalis, sicut aliorum officiorum renunciationem extra capitulum admittere, deficiente est provincialis, ad quos etiam attinet definitorem generalem in casu renunciationis, aut mortis tempore intermedio concurrentis eligere.

*Idem ut supra* §. 534. 5. Casu, quo p. provincialis e vita decidat, vel renuetur, si id acciderit ante transactum annum cum dimidio a celebratione capituli definitorium provinciale eligit statim vicarium, et intra duos menses convocabit capitulum ad eligendum provincialem, qui durabit in officio usque ad capitulum triennale ordinarium, et non amplius.

*Idem ut supra* §. 535. 6. Si autem mors, aut renuntiatio provincialis eveniat post annum Bull. Rom. Tom. VII.

nam cum dimidio a celebratione capituli, definitorium eliget vicarium provincialem, qui cum omnibus facultatibus provinciali debitis provinciam usque ad capitulum triennale gubernabit.

*Idem ut supra* §. 536. 7. Ad definitorium provinciale spectat dubia circa electiones provincialis occurrentia intra diem naturalem decidere simul cum provinciali antecedente, et si noviter electus erat defensor, ad decidendum dubium accedet antiquior ex gremialibus; et præcipimus, ut omnes definitorii decisioni acquiescant, et obediant sub pœna privationis officii, vocis, et loci in perpetuum irremissibiliter applicanda.

*Idem ut supra* §. 537. 8. Statuimus ut in posterum, antequam dispensatio aliqua in legibus ad mores pertinentibus petatur in definitorio generali a conventu, vel individuo cujuscumque provinciæ debeat requiri consensus definitorii provincialis cum quatuor ex quinque istius suffragiis; et dispensationem a definitorio generali sine prævio dicto consensu traditam, nullam omnino, et irritam declaramus, et mandamus definitorio provinciali, ne illi uti permittat.

*Idem ut supra* §. 538. 9. Insuper sine consensu definitorii provincialis, et conventualis capituli, non possunt priores in triennio ultra trecentos aureos, sive ducatos ex bonis communitatis consumere, expendere, vel alienare. Potest etiam definitorium distributiones facere, et præcipere in omnibus provinciæ conventibus pro solvendis expensis in bonum commune provinciæ factis, nisi alias definitorium ære proprio possit easolvere.

*Idem ut supra* §. 539. 10. Præter facultates in hoc capite, aut forte alibi in constitutionibus definitorio provinciali expresse commissas, nullas alias illud habere volumus, et si quas præter hoc, aut alibi indubitanter expressas sibi arrogari præsumpserit, aut in regimine provinciæ, vel alicujus conventus ultra eas se immisceat, vel a p. generali excessus definitorii conscio, vel tempore visitationis severe coerceatur, corrigatur, et puniatur juxta qualitatem excessus.

*Idem ut supra* §. 540. 11. Si definitores advertant provincialem munus suum non implere, vel, quod pejus est, officio suo abuti, eum humiliter commonefaciant. Quod si nec monitis acquiescat, re benè ponderata, patrem generalem, et definitorium generale conscium faciant, ut congruum apponant remedium; in his

maxime, in quibus pona depositionis, vel suspensionis provinciali per constitutiones imponitur.

### CAPUT UNDECIMUM

#### De officio provincialis

De officio provincialis.

§. 541. 1. Provinciali omnes fratres, et moniales tamquam patri, et pastori prompti obediant, et debitam subjectionem ubique exhibeant; et ideo provincialis totius provinciae curam sollicite gerat, et in ea poterit omnia facere, quae priores in suis conventibus servato tamen ordine, ut dictum est in capitulo de obedientia.

Idem ut supra

§. 542. 2. Ad provincialem spectat ad habitum, et professionem tam fratribus, quam monialibus licentiam praebere juxta nostras constitutiones, literas confraternitatis suae provinciae concedere, fratres intra suam provinciam de uno conventu in alium transmutare, et extra provinciam intra triginta leucarum spatium aliquem religiosum, quando opus sit, ad aliquod negotium mittere, et religiosis professis pro ordinibus reverendas praebere, et nullus religiosus poterit scapularia ordinis benedicere, neque ad confraternitatem aliquem admittere, nisi de expressa licentia provincialis, nisi alias sit actus prior.

Idem ut supra

§. 543. 3. Ad provincialem etiam pertinet singulis annis suam provinciam visitare, ejusque reformationi incumbere, et usque ad graviores culpam inclusive corrigere. Si infirmitate, aut alia urgente necessitate per se ipsum aliquem conventum non possit visitare, aut aliud ministerium sui officii peragere, poterit alicui religioso suae provinciae suas vices committere, et eandem commissionem ad tres, aut quatuor conventus visitandos in singulis annis praebere; ei tamen non liceat, vicarium provincialem in tota provincia, aut in majori parte designare: nam hoc ad defensorium provinciale spectat. Provinciali etiam competit, superiores monialium confirmare, earum electioni assistere, suffragaque cum secretario, et aliis duobus sociis regulare, admittere earum renunciations; similiter, et in religiosis admittere renunciationem illorum officiorum, quorum electio, seu assignatio non fit a capitulo generali, vel provinciali, aut defensorio generali, vel provinciali. Item memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis re-

ligiosae pro conventibus admittere, servatis iis, quae circa hoc in nostris constitutionibus ordinantur.

Idem ut supra

§. 544. 4. Poterit etiam excommunicatos per manus violentae injectionem absolvere, et cum iis, qui in apostasia celebraverint, super irregularitate dispensare; et denique tam in censuris, quam in aliis eandem facultatem habeat, quantum jure communi, quam pontificum privilegiis aliorum ordinum provinciales sortiuntur, nisi in casibus, in quibus ejus potestas nostris constitutionibus fuerit limitata.

Idem ut supra

§. 545. 5. Provincialis pro socio eligat aliquem sacerdotem, qui suo consilio, prudentia, laboreque in suscepto onere eum possit adjuvare, teneaturque statim post suam electionem quamprimum commode poterit omnes provinciae conventus visitare, et student omnia debite disponere, et religiosos in eis conventibus, ubi magis expedire viderit, accommodare, et ubi suaviter religionis jugum ferant; Deoque secundum suam regulam, et constitutiones perfecte famulentur. Hortamur vero in Domino, et precipimus provincialibus, ne faciliter religiosorum mutationibus annuant: enim ex eorum cursu, et variatione maximum detrimentum conveniat religioni.

Idem ut supra

§. 546. 6. Provincialis absque consensu sui defensorii, non possit distributionem in sua provincia facere, nisi ex licentia p. generalis. Poterit tamen prior cum consensu majoris partis capituli conventualis, et de licentia provincialis, alicui monasterio egeati operam ferre. Hortamurque omnes conventus, ut hac via mutuo se adjuvent, ut charitas magis, ac magis in omnibus augeatur.

Idem ut supra

§. 547. 7. Mortuo provinciali praesideat in provincia primus defensor provincialis, et in ejus absentia secundus, et sic de aliis, quousque a defensorio provinciali, vicarius provincialis eligatur: interim tamen defensor praeses neque aliquem conventum visitet, neque religiosos ab uno conventu in alium transferat, neque ad studia aliquem mittat, neque licentiam concedat ad praedicandum, aut confessarii munus exerceendum, neque etiam alicujus priorissae electionem faciat, aut ei intersit, vel eam confirmet, neque aliud innovare, aut revocare eorum, quae provincialis defunctus ordinavit alio modo audeat. Et prior domus, in qua provincialis decessit tenebitur statim p. n. generali ejus mortem denunciare,

## CAPUT DUODECIMUM

## De definitoribus provincialibus

De definitori-  
bus provincia-  
libus.

§. 548. 1. Definitores provinciales, nec numero plures, nec pauciores erunt quam quatuor, quorum muneris est definitorium cum provinciali componere, cum voto decisivo in omnibus, quæ capite decimo præcedenti definitorio provinciali commissa sunt, et in aliis ad idoneam provinciam gubernationem convenientibus p. provinciali consilium dare dum ab eis petitur, vel etiam quoties prudentia, et charitas exigant, quorum consilio p. provincialis libenter utatur memor oraculi divini dicentis: *Salus autem populi, ubi consistit multa*: Prov. 11. v. 14.

De officio de-  
finitorii.

§. 549. 2. Definitorum officium est triennale usque ad novorum definitorum electionem in capitulo provinciali faciendam. De qualitatibus in his definitoribus requisitis dictum est cap. 2 §. 2 sicut etiam, quod sunt seorsim eligendi, et quod secundum ordinem electionis sit ordo ab eis servandus in dignitate, et sede; hic autem advertendum duximus, ut definitor provinciam non possit in idem officium tertio eligi in nullo eventu. Tempore definitorii p. provinciali proximi ubique assidebunt, et præsidebunt; extra definitorii tempus, si adsunt cum provinciali in eodem conventu immediate post provinciam, et ante priorem domus sedebunt, et præsidebunt. In conventu vero, a quo abest provincialis sedebunt post priorem, et non præsidebunt, nisi deficiente priore, tunc etiam coram superiore præsidebunt, et signum in communitatis actibus dabunt, quin unquam in regimen domus audeant, aut valeant se introducere.

De iure defi-  
nitorum adsi-  
stendi in re-  
fectorio.

§. 550. 3. Definitores non debent adesse capitulis conventualibus, quamvis eis præsit p. provincialis, nec primæ mensæ, quando in refectorio culpæ coram superiore dicuntur. Si autem prior præsens adsit assistent definitores in refectorio, at nec zelator, nec prior poterunt culpas eis imponere.

De iure scri-  
bendi literas.

§. 551. 4. Possunt definitores libere literas scribere, seu recipere, quin a provinciam prælati legantur, aut aperiantur, immo, et absque eorum notitia. Hortamur tamen definitores, ut parce admodum, et non nisi magna cum necessitate hac licentia utantur, ne forte ejus abusu provinciam potius destruant, quam ædificent, et paupertatis votum in animarum suarum per-

Bull. Rom. Tom. VII.

niciem violent. Ab officiis tabulæ sint liberi, præter quam ab eis, a quibus nec prælati eximuntur. Nec præcepta, quæ a prioribus imponuntur definitores provinciales ligant, immo nec a provinciali imposita, nisi eos comprehensos velle expresse significet.

§. 552. 5. Durante officio definitores provinciales non sint visitationi subiecti, sed eo finito visitabuntur in capitulo a novo provinciali cum suo definitorio, ut dictum est in cap. 9 §. 3. num. 5.

De exemptio-  
ne a visitatio-  
ne.

§. 553. 6. Ne ergo definitorum defectus maneant impuniti, decernimus, ut provincialis, antequam capitulum congregetur per se, vel per alium diligenter, et sub præcepto formali in his conventibus, ubi fuerint commorati, de eorum moribus, et vita inquirat. Quod si in aliquo, res animadversione digna fuerit deprehensa, novo definitorio causa tradatur, ut simul cum novo provinciali, qui in eo præsidebit de ea iudicium ferat.

Declaratio.

§. 554. 7. Si autem (quod absit) aliquis definitor tempore intermedio, adeo graviter delinquat, ut suspendi ab officio mereatur, huiusmodi culpæ iudicium, et decisio ad generalem cum suo definitorio spectabit. Quod si talis definitor suspendendus est, statim post sententiam latam, provincialis cum suo definitorio alium definitorem eligant loco suspensi, qui illius vices suppleat pro tempore suspensionis, et non ulterius.

De suspensio-  
ne definitorem

## CAPUT DECIMUMTERTIUM

## De visitatoribus, de modo visitandi, et de sigillis ordinis.

§. 555. 1. Cum totius ordinis ruina proveniat ex defectu debitæ visitationis, visitatoribus tam provincialibus quam aliis in suis visitationibus illud propositum esse debet, ut nostræ regulæ, et constitutionum observantiam, et omnem nostri instituti rationem ubi non integre, et perfecte custodita fuerit, restaurent, errata corrigant, et omnem negligentiam puniant. In primis volumus, ut cum visitatores venerint ad conventus visitandos (regulariter primo magis) omnibus fratribus convocatis dicto hymno = *Veni Creator Spiritus* = cum oratione = *Deus qui corda fidelium etc.* = exhortationem aliquam coram omnibus ad observantiam suæ professionis, vel de aliis rebus ad visitationem pertinentibus pro rerum,

De visitatori-  
bus.

ac temporum opportunitate habeant. Postea imponant præceptum in hac, vel in alia forma *Auctoritate, qua fungor præcipio vobis virtute Spiritus sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto, ut si quid tam in prælato, quam in subditis dignum correctione vobis visum fuerit statim denunciatis pure, et veraciter, recluso omni odio, et amore, ac debite charitatis, et justitiæ legibus servatis.* Hujusmodi vero præceptum ultra decem dies, nec minus, quam per tres integros in conventu religiosorum non extendatur. In monasteriis vero monialium, nec ultra octo, nec infra tres duret.

De præcipua  
inquisitione.

§. 556. 2. Visitatores primo de adimplentione legis Dei, et Ecclesiæ inquirant, deinde de observantia regulæ, trium votorum, et nostrarum constitutionum. Tertio, omnia scandala, aut speciem mali habentia, tam extra conventum, quam in conventu scrutentur. Quarto, de pace, et de quiete religiosorum, sine qua vana est omnis religio, inquirant. Quinto, de regulari disciplina, nempe: de officio divino, de oratione, de silentio, de vita communi, et æquali, de clausura, et specialiter, an prælatus religiosi omnibus, præcipue vero infirmis de necessariis sufficienter provideat, et an forte aliquis abusus in vestitu, vel in alijs observantijs irrepserit. Quæ omnia, ut exacte visitator exequatur, oportet, ut regulam, et constitutiones, ac ordinationes alias optime noscat; et de præcipuis statutis memoriale aliquod instituatur summarium juxta quod possit singulos examinare. Præterea studeat ea omnia, quæ ad correctionem fraternam spectant in promptu habere.

De modo præcedendi in visitatione.

§. 557. 3. Vocatis igitur ad se singulis religiosi solemniter professis, eos de prædictis diligenter, et prudenter interroget. Et ante omnia sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et oleum infirmorum visitet. Similiterque antequam ultimam manum imponat visitationi, omnia vasa, et ecclesiastica vestimenta, quæ munditiæ, et decore serventur, et omnes officinas sigillatim præscrutetur, earumque suppellectilem consideret, inspiciatque, an sint omnia necessaria pro usu fratrum, vel aliqua nostro statui indecora, aut superflua nec non omnia, quæ religiosi in cellis, vel secum habent exploret, et si aliquod nostra professione fuerit alienum, omnino abdicetur, et rejiciatur. Si vero quid ex necessariis defuerit, diligenter faciat provideri. Et tempore visitationis,

provincialis coram communitate, singulorum religiosorum habitum, et pallium diligenter reformet, curetque, ut in omnibus uniformitas, et id quod nostra disponit constitutio integre servetur: et qui in hoc excesserit ab eo puniatur, et illico ad mensuram constitutionis omnia reducantur: eandemque curam prior conventus semper habebit.

§. 558. 4. Et quia non solum spiritualem monasteriorum statum visitare tenentur, sed etiam temporalem inquirere, summa cura incumbant, codices accepti, et expensi scrutari, visitatorque certior fiat de alijs omnibus, quæ statum temporalem illius domus pertinet; debeantque priores, et claryarii de omnibus fideliter rationem reddere.

De rebus temporalibus scrutandis.

§. 559. 5. Quibus peractis, convocatis in unum fratribus, spiritualem sermonem instituat, in quo, quæcumque bene instituta viderit, approbet; quæ secus, corrigat, vel in communi, vel in particulari. Dicantque omnes statim culpas suas incipiente priore genuflexo, interimque totus conventus stet, et ipso expedito, cæteri ordinate procedant. Si tamen in priore sit aliquis defectus, non omnibus, vel majori parti cognitus non publicetur, sed secreta in præsentia aliquorum, qui circa ipsum propensius affecti sunt, illum corrigat. Similiter et alia, quæ occulta correctione indigent, secreta, et occulte corripiat: si vero publica sint, sive notoria coram omnibus publice corrigantur, ut qui alios exemplo suo ad malum provocavit, sua emendatione ad bonum reducat. Si autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, cum misericordia judicium exercentur. Hortamur vero in Domino, ne impunita delicta remaneant, ne spes impunitatis majora inducat peccata.

De spirituali sermone instituendo.

§. 560. 6. Si visitatori expediens videatur, acta aliqua, sive statuta facere, ea summa cum maturitate, et judicio, et non nisi gravi necessitate constituat, ne ob particulares defectus, communitas pluribus ordinationibus implicetur. Acta vero si quæ remanserint, in arca communi serventur, et tantum perdurent de una visitatione in aliam, ubi denuo non approbata expirent. Omnia vero præcepta, et censuræ, terminato provincialium munere, cessent, tam in conventibus religiosorum, quam monialium, quamvis res præcepta, usque ad aliam visitationem, ut simplex mandatum vim habeat. Et quili-

De actibus, et statutis faciendis.

bet provincialis in prima conventus visitatione diligenter inquirat, inspiciatque omnia acta, præcepta, mandata, aut censuras sui antecessoris, ut de eorum observantia, integraque adimpletione, et quid circa ea confirmare, aut revocare expediat, exactius judicare possit.

De suspensione priorum, seu vicariorum

§. 561. 7. Provincialis poterit priores sive vicarios suæ provinciæ ab officio suspendere, tam in casibus a nostris constitutionibus expressis, quam ratione alicujus culpæ, sive delicti ab eis commissi. Idem etiam efficiet, si re mature considerata, invenerit prælatum minus habilem, aut idoneum ad ministerium quod exercet, quodque continget, quando ex defectu naturalis talenti, omnes, vel major pars conventus irreligiose, sine pace, et observantia vivant, vel alias, gravia alia, sive in populo, sive in monasterio, incommoda sequantur. Et denique si talis sit, ut omnes fere fructus boni regiminis in eo desiderentur: tunc quamvis alias prælatus sit religiosæ vitæ, provincialis arbitrio suspendatur: qui teneatur definitorium generale consilere, an in eo casu oporteat officio omnino privari.

De disciplina, et absolutioe

§. 562. 8. In capitulo culpæ omnes disciplinam communem accipiant, et absolvantur a visitatore, sive sit provincialis, sive alius quicumque in hac forma. *Auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, qua fungor in hac parte, in quantum possum absolvo vos ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis: et concedo vobis omnes indulgentias, quas possum concedere virtute Bullarum, et privilegiorum nostri sacri ordinis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Animadvertant autem religiosi, quod tunc ex nostri ordinis privilegiis plenariam indulgentiam consequantur. Et cum visitationum præcipuus finis sit observantia, et pax (ut concilium Tridentinum expresse advertit) visitatores maxime curare debent in monasteriis fructus pacis, et observantiæ post se relinquere: alias suo defuisse muneri arbitrentur.

De redditione rationum præbenda.

§. 563. 9. Provinciales visitatores, sive alii quicumque sint, postquam suam provinciam visitaverint, vel onus aliud eis impositum expleverint, rationem per generali reddant de statu monasteriorum omnium, tam religiosorum, quam monialium. Si vero in aliquo conventu culpam aliquam, quæ

suam facultatem excedat deprehenderit, statim certum faciant definitorium generale, et si processum aliquem formaverint, aut aliquid aliud pro cognitione illius negotii in scriptis habuerint, illud definitorio mittant. Quod si in aliquo casu eorum facultatem excedente, de celeri remedio provideri oportet, illud adhibere possint; idemque præstare valeant prælati inferiores alii: confestim tamen superioribus, ad quos res attinet, denuncient.

§. 564. 10. Inhibemus visitatoribus omnibus, ne apud monasteria monialium in sacristia, locutoriis, neque in aliqua parte simili comedant, aut dormiant, vel in alio cubiculo ubi videri, vel audiri possint ab ipsis, sub pœna gravioris culpæ: Sed si contingat non esse in illo loco nostrorum fratrum conventum, ad aliquam domum viciniorum se conferant, ubi conventus monialium provideat eis de victu communi, et regulari sui conventus, nec ulla ratione permittant sibi aliquid aliud conferri.

Prohibitiones quoad monasteria monialium.

§. 565. 11. Et ut circa ingressum intra clausuram monialium exactius serventur decreta sacri concilii Tridentini, et apostolicæ ordinationes; statuimus, quod visitatores, et provinciales non possint earum claustrum ingredi, nisi tantum pro clausura monasterii visitanda, et tunc si visitator sit generalis, poterit secum introducere duos sui ordinis socios, si autem fuerit inferior generalis, unum tantum secum deferet, et ante solis occasum e clausura egrediantur, nunquamque dum cellas monialium visitat a socio, seu sociis separetur, aut cum moniali aliqua loquatur, quod a sociis audiri non possit. Pro habendo autem capitulo de culpæ pro electionibus, et pro audienda earum visitatione, aut etiam pro spirituali exhortatione, nullo pacto claustra ingrediantur: sed hæc omnia ad crates ferreas fiant, sub pœna privationis ab officio, et tam provincialis, quam quilibet alius, qui monialium electionibus intersit, nunquam admittat suffragium aliquod in confuso, vel sibi commissum, et suo arbitrio pro aliqua suffragium ferat, sed quælibet illarum, quæ voce gaudet, distincte, et expresse ejus nomen pro qua suffragium ferre intendit in schedula scribat.

Idem ut supra

§. 566. 12. Visitatores tempore quo suo funguntur officio, omnibus religiosis illius provinciæ, etiam ipsi provinciali præsideant, non vero in regia regiminis se immisceant.

De officio visitatorum.

De instructio-  
nibus circa ne-  
gocia.

§. 567. 13. Statuimus, ut omnes visitatores, et quicumque alii, qui jurisdictione aliqua subdelegata utuntur, teneantur suæ commissionis literas manifestare: alias religiosi eis obedire non adstringantur. Et quia sæpe oportet instructiones alias circa negotia eis commissa, a superioribus sibi conferri debeant, sub pœna pro qualitate, et modo culpæ infligenda eas exequi, et sub sigillo secreti servare.

De litibus,  
allisque reme-  
diis juridicis.

§. 568. 14. Cupientes ex una parte ne religiosorum spiritus, qui ad altiora contendit, strepitu sæcularis iudicii, aliisque juris apicibus, appellationibus, litibus, aut nimia sui juris defensione obruatur, et extinguatur, et ex alia parte, ne correctio regularis justitiæ, et rectitudo succumbat, ordinamus, neminem prælatorum teneri formare processum, aut uti aliis libellis in scriptis, nisi in casu gravissimæ culpæ, prout decernitur in Bulla ordini concessa a Gregorio XIV. et in graviore etiam culpa, in illis tantum casibus, in quibus aliquis rigorosum supplicium in nostris constitutionibus pro graviore culpa decretum meretur, aut nisi agatur ad deponendum aliquem prælatum canonice electum, aut ad suspendendum ab hoc officio, vel privandum aliquem voce activa, vel passiva per sex menses, nisi quando hæc pœna in constitutionibus exprimitur, et simul casus est notorius. Sed in aliis rebus de plano sine processu, et sine iudicii strepitu cognita veritate, æquitate servata, auditaque parte procedatur; ut sic efficaciter culpæ, et defectus media charitate, et rectitudine corrigantur. Hæc enim omnia pro regulari correctione inter nos existimanda, et acceptanda sunt. Si tamen aliquis ad visitandum vel ad aliquod negotium a superioribus mittatur, tunc teneatur iudiciale procedere, et causam in scripto superiori tradere. Præcipimus deinde, ne nunquam visitatores testium nomina, testimonia, aut numerum delinquentibus exhibeant nisi in casibus a Bonifacio papa VIII. expressis, nempe ubi, et quando in oppositione alicujus gravis, et infamatorii criminis justitiâ periclitatur, nam eo casu, si reus petat accusantium, et testium nomina sibi notificari debere, non est ei denegandum.

De sigillis or-  
dinaris.

§. 569. 15. Ut in ordinis sigillis uniformitas servetur, ordinamus, ut p. n. generalis pro suo munere exequendo, duobus utatur sigillis: alterum sit parvum pro epistolis, et re-

bus ordinariis sui officii: alterum mediocre pro negotiis gravioribus. In utroque vero sint insignia ordinis sculpta, additis in circuito his literis (generalis) similibusque aliis omnibus sigillis, et ad eodem effectus provinciales utantur: cum subscriptione, seu nomine suæ provinciæ. Pro definitorio generali fiat aliud mediocre magnitudinis cum hac subscriptione (definitorii generalis) idemque fiet pro definitorio provinciali, et quilibet ex definitoriis tam generalibus, quam provincialibus pro suis epistolis, et similiter visitatores, et procuratores generales curiæ Romanæ, et Regiæ parvo sigillo utantur. Nec non omnes ordinis conventus pro negotiis tantum illius domus sigillum habeant peculiare cum usitatis religionis insigniis, et titulo illius conventus. In quibus omnibus sigillis tantum apponantur ordinis insignia, additis subscriptionibus prædictis. Neque religiosus aliquis, neque monialis utatur sigillo aliquo cujuscumque conditionis sit, sub pœna gravis culpæ.

## CAPUT DECIMUMQUARTUM

### De capitulo conventuali

§. 570. 1. Ad tuendam regularem disciplinam plurimum confert, ut capitulum in conventibus suo tempore regulariter celebretur, in quo de custodia ordinis, et animarum salute, et de correctione culparum (ut regula præcipit) agendum est. Quare per priorem, subpriorem, aut vicarium quilibet hebdomada semel ad minus capitulum habeatur, sub pœna gravis culpæ. Et primo mane semper celebretur, nisi aliud ex rationabili causa prælato expedire videatur. Modus autem in ipso servandus præscribitur in ordinario.

De celebratio-  
ne capituli con-  
ventualis.

§. 571. 2. Prælatus sive præses in conventuali capitulo exhortatione aliqua per se, vel per aliquem brevi, et opportuna subditorum mentes ad regulam quam professi sunt observantiam, vel ad aliarum virtutum functionem hortari debet. Qua finita si in communi aliquid illi, vel aliis advertendum occurrerit statim proponat, et postea omnes juxta formam in ordinario præscriptam devote, et humiliter dicant suas culpas. Declaramus tamen ad hoc capitulum læves culpæ tantum spectare, si enim aliæ graviore invenientur, prælatus maturiori consilio secundum suam facultatem de ipsis debet judicare in-

De exhortatio-  
ne a præsule  
facienda.

De sigillis or-  
dinaris.

capitulo, vel extra illud secundum earum qualitatem.

De observatione ordinis curanda.

§. 572. 3. In huiusmodi culpis zelator, qui ad hoc officium qualibet septimana ex sacerdotibus est deputatus, cuius muneris est ordinis observantiam zelare, et in hac parte prelati curam adjuvare, defectus singulorum fratrum simpliciter, et sine aliqua exaggeratione unico verborum contextu proponat. Quod similiter faciant reliqui vocales, et maxime preses, si aliquid adverterit, neque aliquis proferat culpam fratris, quam ipse confessus fuerit.

De accusationibus, et poenis

§. 573. 4. Accusatus humiliter, et patienter, quasi de ore Domini culpam animadversiones suscipiens, statim dicat *mea culpa*, et prosternat se terram osculans, donec iussus a presidente surgat, et tunc tacens genuflexus maneat, et si a presidente fuerit interrogatus, et non aliter, breviter et sincere excusationem suam proponat, et presidentes eo audito, charitate media, ut regula docet, imponat condignam poenitentiam, vel jubeat eum in loco suo sedere: sit ergo in eo qui preest justitia, laenis in admonitione charitas, et in admonito humilitas.

Idem ut supra

§. 574. 5. Si quis cum accusatur, vel reprehenditur, impatienter, vel temere respondeat, graviter statim puniatur; aut presidentis iudicio ad tempus sedatae passionis differatur. Nullus etiam presumat culpam suam, vel alterius in capitulo, vel alibi defendere, nec sine licentia presidentis in capitulo loquatur, sub poena arbitrio presidentis secundum qualitatem culpae infligenda. Neque aliquis conqueratur de culpis sibi in capitulo, vel in refectorio impositis, sub poena jejunii in pane, et aqua. Honestissimeque zelatorum conscientias, ut culpas, quas in religiosis cujuscumque conditionis viderint, eas cum charitate, et simpliciter in capitulo, vel in refectorio denuncient cum omni integritate, et absque personarum acceptione. Et similiter omnes sacerdotes hortamur in Domino, ut culpas, quas inter se cogoverint cum charitate, et humiliter sibi invicem advertant.

De secreto servando.

§. 575. 6. Statuimus ut eorum, quae in capitulo agentur ab omnibus omnino secretum servetur. Si quis vero secreta capituli, quaecumque illa sint, si praelatus ea celanda commiserit, secularibus aut aliis extra secretum capituli, etiam religiosis revelaverit, ipso facto careat voce, et loco, et pensa-

to scandalo, sive damno inde proveniente secundum suam culpam rigide puniatur.

## CAPUT DECIMUMQUINTUM

De officio prioris, et superioris.

§. 576. 1. Priori poenes quem totius monasterii peculiariis est administrator omnes conventuales, tanquam Deo studeant obedire, et ejus iussa in omnibus rebus adimplere. Primum tamen et principale prioris officium est, suae ipsius, et omnium subditorum salutis, et profectus spirituali invigilare, se simul, et creditum sibi gregem, secundum Deum ad regularem ordinis disciplinam in omnibus benedirigere, et in vitam aeternam ordinare, et fratres tam exemplo, quam verbis admonere. Quare se priores, et nomini suo conformes in omnibus observantis, tam in choro, quam extra illum, factis ipsis, et vitae actionibus ostendant. Et ut facilius, commodiusque sibi subjectos regere, et debite clausura continere possint, assidue in suis monasteriis studeant residere. Neque per generalis poterit aliquem praelatum, aut subditum a communitatis actibus exonerare.

De officio prioris.

§. 577. 2. Priores in suis conventibus ea omnia ordinare, et praecipere possunt, quae ad majorem observantiam, et suorum subditorum reformationem expedire judicaverint. Et ut aptius possint suos subditos in observantia, morum disciplina, et obedientia continere, in omnibus, quae ad correctionem subditorum suorum spectant, jus, et potestatem habeant, usque ad graviores culpas exclusive, nam haec, et omnes illae, quae cum scandalo religiosorum, vel secularium committuntur, provinciali, sive definitorio, ut suis locis annotatur, reservantur, quamvis ipse in his, et aliis suam facultatem excedentibus, si opus sit aliquo opportuno, et celeri remedio poterit id, tam in suis conventibus, quam in aliis locis in suo districtu diligenter adhibere; statimque certiores facere superiores, ad quos talis causa spectat. Poterit insuper excommunicatos per quamlibet manus violentiae iniectionem, etiam enormem in fratres ordinis, nec non apostatas, etiam pro secunda, et tertia vice ab censuris absolovere.

De jurisdictione prioris.

De jurisdictione prioris.

§. 578. 3. Prioris est, subditos suos frequenter admonere, capitulum

De officio prioris.



omnibus septimanis celebrare, regulam omnibus fratribus exponere, et penas a nostris constitutionibus taxatas, delinquentibus omnino, absque ulla exceptione personarum applicare. Et qui hoc remisse se gesserit, arbitrio provincialis gravius puniatur, juxta qualitatem delicti.

Idem ut supra

§. 579. 4. Prior a suo conventu recedens potest ex sacerdotibus illius (etiam superiore præsente) vicarium eligere, quod præstare non poterit si in conventu adsit, nisi ratione infirmitatis gravis, quæ eum ab exequendo suo munere impediatur.

Idem ut supra

§. 580. 5. Priores, aut vicarii, vel quilibet alius religiosus, minime possint litem aliquam incipere nisi de licentia provincialis; neque conservatoris judicis vice (nisi ex mandato expresso summi pontificis) fungi: neque testamentorum executores, sine licentia p. generalis, esse, sub pœna privationis ab officio, et vocis, et loci per sex menses. Quod si urgens, inevitabilisque casus occurrat, poterit de prioris licentia id fieri; tenebitur tamen patrem nostrum generalem certiorum prior illico facere; hand tamen talis executor pecunias, sive alias res pretiosas apud se retinebit.

De onere conficiendi inventarium

§. 581. 6. Priores initio suæ administrationis, conventus inventaria explorent, et omnia bona monasterii in præsentia clavariorum recipiant; et suorum officiorum sine nihil de bonis conventus, aut missarum elemosynis inde extrahant, aut secum ferant præter expensas itineri necessarias a clavariis donandas, sub pœna proprietatis, et cum obligatione restituendi.

De officialibus ab eo eligendis

§. 582. 7. Ad priorem spectat sacristam, et alios officiales sui conventus eligere, præter clavarios, et procuratorem, qui a communitate per secreta suffragia eligi debent, et nunquam procurator ultra triennium absque licentia patris nostri generalis in officio perduret, et in provincia sancti Alberti provincialis. Studeat tamen viros idoneos, et quibus talia munera credi possint deputare. Qui cum officium suum terminaverit, clavariis omnia, secundum propria officiorum inventaria, tradat.

De vigilantia a priore præstanda.

§. 583. 8. Priores nulla ratione permittant, ut religiosi sæcularia negotia tractent, sed potius a sæcularibus semoti, rebus divinis, solique Deo vacent.

De ære alieno non contrahendo.

§. 584. 9. Prior suo munere functus, monasterium ære alieno plusquam

centum ducatis sine licentia provincialis gravatum non relinquat. Strictè vero præcipimus, ut omnes priores, aut vicarii statim post suam electionem teneantur debitis omnibus satisfacere, tam pro missarum stipendiis, quam pro quibuscumque aliis, non aliter ac si ipsi debita contraxissent. Neque excepto victu, et vestitu religiosorum, possint ante debitorum solutionem pecunias etiam pro ædificiorum erectione, vestibus sacris, libris, aut alia re consumere.

De adjutore prioris.

§. 585. 10. Prior simul cum provinciali eligat superiorem, virum prudentia, et consilio ornatum, qui possit priorem in ferendo onere adjuvare, et qui sciat, et valeat inter priorem, et subditos prudentis mediatoris vices præstare. Officium superioris duret tribus annis, et quamvis prædictum tempus non fuerit expletum; tribus mensibus a capitulo provinciali transactis expiret in omnibus ordinis superioribus. Poterunt tamen in eodem conventu reeligi, si per duos annos illud jam non exercuerint.

§. 586. 11. Præcipuum superioris munus est vigilare, ut ea quæ pertinent ad cultum, et divinum officium exacte, et diligenter fiant, et ut unusquisque officium sibi injunctum perfecte exequatur, neve absurde, præpostere, aut indecore quidpiam in choro fiat; ut cœremoniæ, et ordinarium religionis exacte observentur. Ea quæ a superiore circa chorum, altare, processiones, et similia circa cultum divinum fuerint ordinata, omnes debent adimplere, nisi prælatus aliud decreverit. Teneaturque qualibet hebdomada tabulam officiorum ordinare.

De observantia cœremoniarum in choro curanda.

§. 587. 12. Superior in absentia prioris (nisi alius vicarius ab eo fuerit designatus) in monasterio præsideat. In absentia vero superioris præsideat antiquior ex conventualibus confessoribus, tam in choro, quam in conventu, et tam hi, quam illi, qui absente priore ejus vices gerunt, nulla ratione aliquid innovare præsumant.

De jure superioris præsidentis in monasterio.

§. 588. 13. Nullus prior generatim sui conventus visitationem, imponendo, præcepta aut censuras audeat facere. Hoc enim proprium est provincialis. Declaramus tandem, quod omnis vicarius canonicè a definitório electus eandem potestatem, et præminentiam in omnibus habeat, ac si esset prior.

Declaratio specialis.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

*De officia trium clavariorum; et custodia communi bonorum conventus.*

De clavariis, et eorum officio.

§. 589. 1. In omnibus conventibus sint tres clavarii, aut consilarii, unus superior, et alii ex dignioribus, a capitulo conventuali eligendi, quorum interventu, et consilio prior, vel vicarius disponat de rebus omnibus temporalibus monasterii. Sine horum vero determinatione non liceat priori expendere, alienareve quidpiam, sive alio modo contrahere in rebus gravibus monasterii. Quod si res adhuc majoris ponderis se offerant, nulla ratione priorum, et clavariorum arbitrio tantum, sed per majorem partem capituli expendantur. Et ut certa aliqua regula præscribatur juxta sacrosancti concilii Tridentini, et ss. Urbani VIII. decreta, sequentes ordinationes, quas stricte præcipimus observari statuimus.

De bonis conventus custodiendis.

§. 590. 2. Prima: Prior nihil omnino de bonis conventus potest apud se, aut alibi retinere, aut in nullos usus, quantumvis licitos expendere, antequam quidquid accipit, in communem arcam, aut officinam reponat, et clavariis notum faciat. Secunda: Omnia, quæ ad munus prioris sive per procuratorem, sive per alium religiosum, aut sæcularem perveniunt, tenetur prior statim in arcam communem mittere: neque prior solus, sive alius quicumque eam aperiet, sed semper ad minus duo concurrent.

De libris asservandis.

§. 591. 3. Tertia: Sint duo libri, unus extra, et alius intra arcam trium clavium, in quorum primo accepta, et ingressa, in secundo expensa, et egressa ex arca fideliter adnotentur.

Idem ut supra.

§. 592. 4. Quarta: Quidquid prior in arcam mittit, illico adnotare faciet in primo libro, et quidquid extrahit in alio libro adnotabitur, subscribentibus clavariis.

De impositione faciendis pro victu, et vestitu.

§. 593. 5. Quinta: Prior in sumptibus pro victu, et vestitu religiosorum arte alieno solvendo, et de officinis conventus de necessario providendis impendere potest, et debet quidquid sibi justum videbitur, dummodo id faciat cum clavariorum scientia extrahendo de arca quantitatem ab ipso petitam, et in libro cum subscriptione clavariorum adnotatam. Ratio autem expensi a priore exhibita ex pecunia ab arca communi non extracta,

et a clavariis ignota, ab istis nullatenus in computum admittatur, aut approbetur. Et potest similiter cum eadem clavariorum notitia, et sub eadem forma centum, et quinquaginta aureos, sive ducatos in toto triennio extrahere, ut suo arbitrio et voluntate in utilitatem conventus expendantur, et cum clavariorum consensu, et approbatione usque trecentos in triennio.

De licentia necessaria ad expensas faciendas.

§. 594. 6. Sexta: Non poterit prior nec in conventu, nec in ecclesia, nec in sacristia, nec alio quocumque titulo quamvis honesto, quantitatem dictos trecentos aureos excedentem expendere absque consensu communitatis in capitulo, et approbatione, et licentia definitorii provincialis; nec capitalia census consumere, nec novos census imponere, nec arbores in conventus fundis cedere absque consensu communitatis, et aliis in his constitutionibus requisitis, atque aliis de jure servatis.

De redditione rationum.

§. 595. 7. Tenantur priores, sive præsidentes conventuum simul cum clavariis, et procuratore, singulis mensibus computum de receptis, et expensis facere, omittentibus vero, tam priori, quam clavariis, arbitrio provincialis poena gravis applicetur.

De libro missarum, seu suffragiorum.

§. 596. 8. Ordinamus præterea, ut alius liber in arca trium clavium, ubi clare, et distincte status monasterii apponatur, præcipue ubi memorie, et alia onera missarum, sive suffragiorum collocentur. Præterea sit index, sive inventarium omnium scripturarum, et obligationum illius conventus, tam fundationis, patronatus, quam similibus. Et ut clarior notitia de omnibus habeatur; tempus, et locus, et persona, sive scribæ, a quibus scriptura fuerunt confectæ, declarentur. Serventur etiam in arca trium clavium inventaria bonorum communitatis, et liber, in quo peculiariter de receptione, et solutione missarum fit mentio: alteri itidem, in quo apocharum omnium exhibitarum ratio cum offerentis, numeri missarum, et eleemosynæ expressione distinctæ, et perpetuo constet: et hos libros, sive in eis contenta omni diligentia visitet provincialis.

De administratione monasterii.

§. 597. 9. Statuimus, ut omnes officiales monasterii, res suæ administrationi peculiariter commissas, tamquam sacras, et quasi pauperum patrimonium omni cura, et sollicitudine custodiant. Quod si prior, superior, clavarii, aut alii bonorum dispensatores de gravi negligentia in custodia

bonorum fuerint convicti arbitrio prioris, sive provincialis pro modo suæ culpæ omnino puniantur.

De redditione rationum exhibenda ab omni praelato.

§. 598. 10. Volumus etiam, ut provinciales, procuratores generales, et quilibet alius praelatus reddant rationem, tam de receptis, quam de expensis circa suas personas, vel officia. Teneanturque visitatores (præcipue provincialium) inquirere ea, quæ eis fuerint donata, ut ipsi requisiti explicent in quibus consumpta sunt.

Magister ad praelatos.

§. 599. 11. Curent autem diligenter nostri ordinis praelati, ut in singulis conventibus, collegiis, hospitibus, eremis libri, instrumenta, aliaque omnia jura ad quoscumque nostri ordinis domus spectantia distincto, clauso, ac tuto loco serventur: eademque a probatis viris a conventuali capitulo eligendis fideliter, diligenterque custodiantur; omniaque fiant uti statuitur in constitutione Benedicti XIII., quæ incipit = *Maxima vigilantia* = diei 15 junii 1727.

## CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

*De ordine, et loco tam a praelatis, quam a subditis servando.*

De ordine, et loco tam a praelatis, quam a subditis servando.

§. 600. 1. Cum in domo Dei non deceat aliquid esse inordinatum in omnibus congregationibus prima sedes et locus p. n. generali debeatur. Definitorum eandem sedem, quæ in primo loco ipsius assignatur, habeant, et idem sit de definitore provincialis, et secretario definitorii generalis. Visitator omnibus, quos tenetur visitare præcedit, eosque præcedet durante tantum suæ visitationis negotio. Provincialis in sua provincia primo omnium loco sedeat: in aliena vero post priorem conventus non postulabit licentiam ad exeundum, et reliqua præstabit, prout ceteri conventuales. Finitis autem suis officiis nullus praelatus, etiam generalis aliqua loci præminencia gaudeat. Prior vero in sua quisque domo primum locum obtinebit. Procuratores generales Romæ, et Hispaniæ post priorem domus, et ante priores hospites, Romæ procurator, etiam ante provinciales hospites sedem habeat. Si plures priores in ejus conventum conveniant, omnes post priorem domus, servata suorum domorum antiquitate, sedeant. Post priorem superior, et in alieno conventu immediate post superiorem domus sedebit. Post superiorem, et superiores hospites magister novitio-

rum, deinde magister professorum, et post istum procurator provincie sancti Alberti sedebunt, et deinceps sacerdotes juxta professionis suæ tempus, sive conventuales sint, sive hospites collocabuntur; et post illos reliqui professi habita ratione ordinis, ita ut diaconus subdiaconum præcedat, et sic deinceps. Si æquales sint in ordine, præcedat in professione antiquior. Deinde suo ordine sedebunt novitii, inter quos præcedant sacerdotes, si aliqui sint. Novissime laici, et donati pro antiquitate professionis.

§. 601. 2. Ille, qui bona fide professionem emisit, si postmodum aliquis nullitatis supplendæ causa illam iterare necessarium sit; ejus antiquitas a prima professione computetur. In itinere autem, qui antiquior fuerit in ordine, sive ratione officii, sive professionis, ceteros præcedat, et ipsi teneantur ei obedientiam præstare. Inter fratres vero itinerantes, poterit prior, vel præses ob rationabiles causas suas vices, etiam non antiquiori commendare.

De professione iteranda.

## CAPUT DECIMUMOCTAVUM

*De regimine provincie s. Alberti*

§. 602. 1. Nostram provinciam sancti Alberti in regno Mexicano quamvis in omnibus communes ordinis constitutiones, quantum fieri potest, servare teneatur; propter ejus tamen nimiam distantiam, et peculiarem ipsius conditionem, peculiaribus indiget ordinationibus, quas hic statuere, et decernere sub diversis paragraphis operæ pretium duximus.

De regimine provincie s. Alberti.

### §. I.

*De facultatibus capituli provincialis, et de procuratore, et socio ad capitulum generale mittendis.*

§. 603. 1. Provincia sancti Alberti celebrabit capitulum de triennio in triennium, dominica tertia post Pascha, dicta = *Deus, qui errantibus* =, sub eadem forma, et ordine: servatisque eisdem qualitatibus tam in electionibus, quam in eligendis, quæ pro aliis capitulis provincialibus ordinis stabilita sunt.

De celebratione capituli.

§. 604. 2. Decernimus, ut in dicto capitulo, sicut in ceteris totius ordinis, eligantur provincialis, et definitores generalis (quando juxta statuta

De electione provincialis, et definitores generalis.

nostri ordinis unus ex definitorebus generalibus debeat esse ex filiis illius provincie) quatuor definitores provinciales seorsim eligendi, et juxta ordinem suae electionis, gradum, et praecedentiam habentes: priores omnium provinciae conventuum, etiam eremi, magister novitiorum, ejusque socio, et in capitulo proxime post electionem p. n. generalis celebrando, etiam illius provinciae procurator, et unus ejus socius cum tribus substitutis, qui eadem habeant qualitates, quae in sociis ad capitulum generale in his nostris constitutionibus desiderantur.

De vocibus competentibus provinciae s. Alberti.

§. 605. 3. Statuimus, ut deinceps provincia sancti Alberti duas habeat voces in singulis capitulis generalibus, unam procuratoris ab ipsa in Hispaniam missi, et alteram ejus socii, vel si adsit defensor generalis illius provinciae filius, iste cum procuratore ad capitulum generale accedent suffraganturi, socio tunc casus extra capitulum manente, sicut de substitutis aliarum provinciarum dictum est, in tali tamen proportione, ut si defensor, aut procurator suae provinciae defecerit facile valeat illius in capitulo vicem gerere, et vocem ferre: ita tamen, ut nunquam in capitulo generali plures ex provincia sancti Alberti, quam duae voces conveniant, nec plures, quam duo, nempe procurator, et ejus socius, aut aliquo ex his deficiente, unus ex substitutis in Hispaniam ob dictum finem veniant; nec aliter ex provincia exeant, quam ambo associati iterum simul reversuri statim post adventum suorum successorum, et non antea, nisi ipsis sponte volentibus, qui pro navigationis, et itineris molestiis sublevandis unum fratrem donatum secum afferre possunt, quem in suo ad provinciam regressu secum pariter reducere teneantur.

De confirmatione definitoris generalis.

§. 606. 4. Defensor generalis ab ea provincia electus a defensorio statim post electionem confirmabitur eodem modo, quo confirmatur provincialis, et tam procurator, quam socius, et substituti literis patentibus capitulo donentur: istique nunquam in eadem reeligantur officia, nisi transacto integro triennio.

De peculiaribus privilegio huius provinciae.

§. 607. 5. Capitulum provinciae sancti Alberti ultra ea, quae aliis capitulis provincialibus competit, potest in legibus ad mores pertinentibus ex iusta, et urgente causa dispensare, dummodo id rarissime fiat, et non nisi concurrentibus plusquam tribus ex quatuor

partibus suffragiorum: potest statuta, et acta in bonum suae provinciae decernere, et ea statim executioni mandare, servata forma ad id in nostris constitutionibus stabilita, dummodo de his aliisque omnibus in capitulo peractis defensorio generali plena ratio reddatur.

## §. II.

*De peculiaribus p. provincialis, et defensorii provinciae sancti Alberti spectantibus.*

§. 608. 1. Ad hoc defensorium spectat quicquid caeteris defensorii ordinis concessum est, et ulterius decernimus, ut possit quascumque renunciationes etiam provincialis admittere, convenientibus quatuor ex quinque suffragiis. In Dei gloriam pro animarum salute, et Indorum conversione religiosos charitate idoneos, prudentia, et zelo fidei catholicae praeditos ad missiones mittere, maxime si pro-rex, aut Indiarum praeses id postulaverint.

De peculiaribus patris provincialis, et defensorii provinciae s. Alberti spectantibus.

§. 609. 2. Potest insuper in legibus ad mores spectantibus his, aut ter in triennio cum per urgenti necessitate, et cum quatuor ex quinque suffragiis dispensare: concedere provincialibus facultatem visitandi per commissarios, alios conventus ultra eos, quos in nostris constitutionibus permittitur aliis provincialibus committere. Jus patronatus ecclesiae, cappellae, aut conventus, ubi, et quando opus sit concedere servatis omnibus de jure servandis. Memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis religiosae admittere, servatis his, quae circa haec in nostris constitutionibus ordinantur. Tribunas, sive fenestras in ecclesiis nostris cum aditu ad aedes secularium, ad tempus tantum, supposito ad id apostolico indulto, concedere: distributiones imponere conventibus pro solvendis expensis in negotiis provinciae a defensorio factis, aut faciendis.

Idem ut supra

§. 610. 3. Item licentiam ad recipiendum fratres laicos praebere, dummodo mature id fiat, et qui recipiendi sunt profectui religioni esse possint, et cum caeteris novitiis instruantur. Fratres donatos, qui laudabiliter per quinque annos in religione conversati sunt, ad solemnem professionem admittere, sed in duobus casibus, quatuor ex quinque, sicut in dispensationibus requiruntur suffragia.

Idem ut supra

Idem ut supra §. 611. 4. Potest insuper definitorium infirmos, et valetudinarios ad balnea mittere, et ad medendos in domibus sæcularium eos, quibus inter septa monasterii subveniri non potest. Quæ duo fieri valent de licentia p. provincialis; in utroque autem casu prælatorum oneramus conscientiam, ut non nisi raro, et in urgenti necessitate prædicta facultate utantur.

Idem ut supra §. 612. 5. Spectat etiam ad definitorium ab officiis suspendere, vel privare, quos juxta leges nostras tali pœna dignos invenerit: in pœnis a se impositis infra medietatem dispensare cum iis, qui eas humiliter accipiunt, et exacte adimplent: incorrigibiles, et eos qui juxta ordinis leges expelli debent, expellere, assumptis ad hoc duobus viciniorum domorum prioribus, ut per majorem partem suffragiorum feratur sententia; sufficit enim major pars in hoc casu, sicut etiam in definitoriis, aut prioris dispositione: denique de gravissima culpa judicare, servando in causis nullitatis professionis constitutionem ss. Benedicti XIV. quæ incipit: *Si datam hominibus fidem*: si vero in aliquo definitorum hujus provincie personalis, et gravis culpa fuerit deprehensa, pro qua mereatur pœnam privationis, aut suspensionis ab officio; hujusmodi culpæ judicium, et decisio ad provincialem simul cum definitorio spectabit. Et tunc locum ejus, qui judicandus est, substituet in definitorio prior illius domus, in qua celebratur, et eo impedito prior vicinioris conventus, ita ut ad judicium hujus causæ quinque adsint suffragia (et idem servabitur, ad admittendam renunciationem provincialis, vel definitorum). Si autem definitor suspendendus, vel deponendus sit, statim post latam sententiam alium definitorem eligent loco depositi, vel suspensi, qui illius vices suppleat pro tempore suspensionis, et non ultra.

Idem ut supra §. 613. 6. Extra hos casus, et si alii in his constitutionibus exprimuntur non licebit definitorio illi aliud agere, vel exequi, sive in alterius causæ cognitionem, aliamve quamcumque rem directe, vel indirecte regimen concernentem se intromittere. Quod si secus fecisse constiterit, tempore, quo circa officia sua visitantur juxta gravitatem defectuum corripiantur.

Idem ut supra §. 614. 7. Si provincialis morte præveniatur, renunciet, aut deponatur ab officio, tunc fiet in provincia sancti Alberti, quod pro simili casu

stabilitur in his constitutionibus part. 3 cap. 10 §. 2 num. 5 hoc uno excepto, quod si pro electione novi provincialis capitulum extraordinarium sit congregandum, volumus, ut pro excusandis expensis, et itineris molestia ad dictum extraordinarium capitulum solum conveniant vicarius provincialis, quatuor definitores, et priores omnium conventuum, qui a domo capitulari triginta tantum leucarum spatio distant, cum quibus ritam fore electionem novi provincialis decernimus.

Idem ut supra §. 615. 8. Statuimus, ut in provincia sancti Alberti provincialis sit semper filius illius provincie, qui eligatur a suo capitulo provinciali, et nunquam a definitorio generali, quique ultra ea omnia, quæ provincialibus totius ordinis competunt habeat facultates sequentes. Poterit memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis religiosæ pro conventibus admittere, servatis his, quæ circa hoc in nostris constitutionibus ordinantur; parentes qui gravi egestate opprimuntur licentiam indulgere, ut elemosynam pro eis alendis postulet, et similiter facultatem præbere, ad hoc ut quis in aliquo casu testamenti executor sit. Et quando aliquis donatus post emissa simplicia vota expulsus fuerit, ab obligatione votorum eum absolvens: concedere licentiam alicui eandem ad propriam patriam sine socio intra ipsam provinciam, ac denique cum illegitimis (hoc est filiis naturalibus et expositis) ut ad habitum recipiantur dispensare, dummodo tamen inter clericos non admittant, nisi a legitima potestate dispensationem obtinuerint.

Idem ut supra §. 616. 9. Quando p. n. generalis dicto provinciali gubernationem eremi suæ provincie commiserit hujusmodi facultas, atque commissio tamdiu pro se, ac successoribus suis perdurabit, quamdiu ipsis minime revocabitur, vel a novo generali alia similis provinciali, aut alicui alteri concessa fuerit. Qui hujusmodi facultatem in literis suæ delegationis expressam nunquam excedant. Talis autem delegatio regulariter committetur, ei qui actu fuerit provincialis illius provincie, aut visitatori a definitorio misso, appositis tamen ibi limitationibus, quæ dicto p. n. generali bene visæ fuerunt.

Idem ut supra §. 617. 10. Statuimus, ut provincialis, et definitorum visitatio fiat in capitulo provinciali juxta formam pro visitatione aliorum provincialium, et definitorum stabilitam in nostris con-

stitutionibus capite 9 §. 3 num. 5. huius tertiæ partis. Et cum ratio totius capituli ad definitorium generale mittitur, mittatur insimul transumptum visitationis p. provincialis, ut de statu illius provinciæ certius definitorium generale reddatur.

## §. III.

*De visitatoribus, et aliis ad provinciam sancti Alberti spectantibus.*

*De visitatoribus provinciæ s. Alberti.*

§. 618. 1. Quando definitorio generali expediens, et necessarium visum fuerit, poterit visitatorem ex Hispania ad illam provinciam mittere, qui eas vices, et præminentias in omnibus habeat, quæ sibi fuerint a definitorio generali commissæ, et si tempore capituli provincialis ibi adsit, præsidebit visitator in capitulo cum voce activa tantum, nunquam tamen passiva voce gaudebit. Et præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obediendiæ, et sub præcepto, nec non sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrenda, ac privationis ab officio, et vocis activæ, et passivæ in perpetuum omnibus, et singulis religiosi dictæ provinciæ, ut nullus eorum per se, vel per alium directe, vel indirecte dictum visitatorem a nostro definitorio missum sui officii executionem impedire, aut perturbare quomodocumque attentet, aut procuret, et sub dictis præcepto, censuris, et pœnis præcipimus, ut quicumque noverit, quod aliquis in quolibet præmissorum secus fecerit, teneatur ipsi visitatori statim manifestare, ut de celeri remedio efficaciter provideat. Et semper visitatori in literis suæ commissionis expresse assignetur tempus pro ea exequenda, quo finito statim ab officio cessabit; nec antea finietur ejus commissio, et facultas, licet definitorium, a quo emanavit expiraverit.

*De ordine procedendi in visitatione.*

§. 619. 2. Quilibet visitator a generali definitorio missus, cum in illam provinciam pervenerit literas suæ commissionis in conventu Mexicano sancti Sebastiani fratribus capitularibus illius in conventuali capitulo congregatis exhibebit, quæ coram ipsis legantur. Quibus intimatis omnino absque ulla controversia, seu aliqua acceptione omnes ei obedientiam præstabunt, sub censuris, et pœnis supradictis, et in eo conventu officium suum visitatoris exinde exercere incipiet. Con-

vocabit tamen per epistolas provincialem, atque unum, aut duos, ex definitioribus, hos scilicet, qui in vicinioribus conventibus commorantur, et si provincialis ægrotaverit, aut legitime impeditus fuerit, sat erit, dictos definidores vocare, certioresque eos facere de suo adventu. Quibus præsentibus suas literas eis manifestabit, obedientique ei tam provincialis, quam definidores ex illa hora sub eisdem censuris, et pœnis, et ex tunc in in tota provincia muneri suo operam dabit. At vero si intra quindecim dies, vel ad summum viginti vocati provincialis, et definidores non venerint dictus visitator ab Hispania missus huic satisfacere debito intelligatur: nec teneri aliquid aliud facere, nec sua manifestare rescripta, sed officium suum exercebit observans omnia, et singula, quæ tam in his, quam in totius ordinis constitutionibus ordinantur. Ipsiusque visitatoris conscientias oneramus, præcipimusque ei in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obediendiæ, et sub præcepto, ut omni diligentia, seclusoque humano respectu, suæ visitationi fidelem operam impendat.

§. 620. 3. Item ordinamus, quod in visitatione, correctione, punitione, depositione provinciæ dictæ provinciæ tempore intermedio, et in gravibus, et extraordinariis casibus idem servetur, quod in nostris constitutionibus statuitur circa correctionem p. n. generalis; hoc excepto, quod loco provincialium, qui ibi ad id cum definitorio concurrere debent; accedant hic priores ex tribus antiquioribus conventibus, et si opus fuerit usque ad depositionem ipsius provincialis procedere poterunt in casibus, in quibus p. n. generalis juxta ordinis statuta deponi potest: concurrentibus ad id quinque suffragiis ex septem. Conclusa vero causa usque ad definitivam inclusive, et ea executioni mandata ejus fidele transumptum ad nostrum definitorium generale mittetur, ut in ipso de justificatione, ac rectitudine per iudicium periculum fiat.

*De gravibus casibus, et extraordinariis*

§. 621. 4. Religiosi, qui ab Hispania ad conversiones mittuntur, nulla ratione poterunt ab aliquo Indiarum prælato impediri, aut detineri, nisi culpam commiserint, pro qua puniri, aut detineri ipsos oporteat: poterit tamen definitorium illius provinciæ eis instructionem aliquam præbere, cui obedire teneantur, et juxta illam in tali missione se gerere dummodo non

*De religiosi ab Hispania mittendis.*

contradicant facultati; aut directioni a nostro definitorio generali concessæ.

Idem ut supra.

§. 622. 5. Præterea statuimus, ut in illo eventu religiosi provinciæ sancti Alberti, cujuscumque conditionis, et qualitatis sint, possint in Hispaniam pergere absque facultate a nostro definitorio generali obtenta, propter quam in casu supra posito, quod scilicet definitorium illius provinciæ aliquem miserit: Quod si quis secus fecerit, et absque hujusmodi licentia in Hispaniam tetenderit, voce, et loco per sex menses privetur. Prælati vero, qui eam miserit per quatuor menses ab officio suspendantur.

De modo vivendi in conventu.

§. 623. 6. Item statuimus, ut in conventu, ubi noviter professi grammatice docentur, idem ordo, ac in cæteris collegiis, modusque vivendi omnino servetur: præterquam quod matutinum adstantibus omnibus media nocte recitetur. Expleta oratione mentali vespertina, et ante completorium per unam horam grammatice studio operam dabunt.

De suffragiis pro religiosis decedentibus.

§. 624. 7. Provincia sancti Alberti pro religiosis decedentibus in Hispania non tenetur ad consueta suffragia nisi pro p. n. generali, et definitoriis generalibus, neque in Hispania fiant, nisi pro provinciali illius provinciæ pro quo quidem eadem suffragia applicari debent, quæ pro cæteris provincialibus Hispaniæ fieri solent. Si vero contingat, ut aliquis religiosus illius provinciæ moriatur in Hispania, præter suffragia, quæ juxta nostras constitutiones debent fieri pro eo in conventu ubi vita migraverit celebrentur pro illo in omnibus conventibus provinciarum totidem missæ, et ipsamet suffragia, quæ fieri debent pro religiosis in alia provincia decedentibus. Et similiter si in provincia novæ Hispaniæ aliquis religiosus cæterarum provinciarum ordinis vita fuerit eadem suffragia pro eo fieri debent in omnibus conventibus illius, sicut fieri infra mandatur pro conventualibus memoratæ provinciæ, nec per nuper dicta excludimus ea suffragia, tam in uno, quam in altero casu, quæ applicari debent pro illis in provincia, seu in illius conventibus pro officiis, quæ in illa, seu in illis habuerunt. Pro unoquoque religioso conventuali decedenti in quolibet conventu dicte provinciæ integrum officium defunctorum persolvatur, et tres missæ conventuales canantur, et quilibet sacerdos quinque privatas missas dicat. In domo autem ubi religiosus obierit præter su-

predicta sex aliæ missæ conventuales canantur, ita ut sint novem, totidemque privatas unusquisque sacerdos in illa domo dicat. Pro donatis, qui non sunt solemniter professi in suo conventu fiat officium integrum defunctorum cum missa conventuali, et quilibet sacerdos provinciæ dicat unam missam; laici vero fratres atque donati easdem atque pro aliis religiosis offerant preces. Pro novitiis denique fiant, sicut in aliis ordinis provinciis fiunt.

De variatione constitutionum

§. 625. 8. Tandem statuimus, quod si aliquid in capitulo generali de mutatione alicujus ex his constitutionibus in hoc capite expressa tractandum sit, id nullatenus fiat, nisi in capitulo, in quo adest procurator provinciæ; servatisque circumstantiis, vel additionem alicujus ex ordinis legibus juxta nostras constitutiones requiruntur, nisi super hoc aliquando (sicut in aliis ordinis constitutionibus post capitulum generale dispensare juxta terminos jam præscriptos) concurrentibus suffragiis ad id necessariis, justis de causis dispensaverit.

## CAPUT DECIMUMNONUM

*De hospicio sancti Joachim, et Annæ urbis Romæ*

§. 626. 1. Religiosi hujus Hispaniæ congregationis, qui in nostro Romano hospicio morantur: et si communes ordinis constitutiones servare debeant in omnibus, quæ hic limitata, et expressa non sunt, tamen quia eorum exercitia, occupationes, et ministeria ab exercitiis cæterarum ordinis domorum in multis valde distant; pro dicti hospiti regimine aliquas peculiare sanctiones statuere necessarium judicamus.

De hospicio s. Joachim, et Annæ urbis Romæ.

§. 627. 2. Quare in dicto hospicio semper aderit procurator generalis, qui pro causis in illa curia tractandis juxta leges nostras a capitulo generali eligitur, et sub hoc nomine idem munus eandemque jurisdictionem, potestatem, et auctoritatem ordinariam scilicet, quam habent omnes priores ordinis, habebit, tam in religiosos ibi commorantes, conventuales; et hospites; sive subditos, sive prælatos cujuscumque conditionis sint (quando temere, et sine licentia ad curiam accedunt) quam in reliquos fratres nostræ congregationis undecumque sint, et ubicumque fuerint extra Hispaniam vagantes cum potestate puniendi apostatas, et eos incarcerandi, et præceptis,

De procuratore generali ibidem præsumendo.

sive censuris ligandi: nec non, et absolvendi ab apostasia, et excommunicatione, et cum iis, qui in ea celebraverint super irregularitate dispensandi, et qualescumque causas eorum formandi usque ad definitivam exclusive, quas nostro definitorio generali remittere debent.

De duratione officii procuratoris.

§. 628. 3. Dicti procuratoris officium durabit per sexennium, et religiosi dicti hospitii conventuales sint ad summum septem (computato cum eis p. procuratore) et præter hos, duo etiam fratres donati: et hic numerus non augeatur.

De subjectione domus.

§. 629. 4. Erit insuper illa domus p.n. generali immediate subjecta, atque ibi commorantes, sint simul conventuales conventus regalis curiæ Hispaniarum, in quo conventu, et in ea provincia suffragia, et officia pro eis applicabuntur, sicut pro cæteris defunctis conventualibus. Dicti vero hospitii sacerdotes pro intentione hujusmodi conventus Hispani, qui eis missarum eleemosynas mittere tenebitur, celebrabunt, hoc est fideliter, et integre tot sacrificia, quot fuerint pictantiæ, cum supplemento tamen illius partis, quæ ratione expensarum itineris diminuta fuerint: ita ut omnino dicantur missæ, ac in dicta eleemosyna integre reciperetur, sub pœna gravis culpæ per tres dies a definitorio applicanda, et non omissa satisfactione missarum, quæ pro integra eleemosynarum summa erant celebrandæ.

De iis, quæ ad chorum spectant.

§. 630. 5. Quod autem ad chorum attinet observabitur in dicto hospitio idem, quod pro nostri ordinis collegiis sancitum est: hoc excepto, quod nec missa ulla, nec horæ canonicæ, quantumvis solemnes sint, unquam cantantur præter quam primam missam noctis Dominicæ Nativitatis, et missam sanctorum Joachim, et Annæ in eorum festivitibus: et illam quæ celebrabitur corpore præsentis alicujus religiosi ibi defuncti: quas ipse procurator generalis celebrare tenebitur, nisi sit legitime impeditus. In communi vero flagellatione, psalmus *Miserere mei Deus*, dicitur sine cantu, devote tamen cum suis intervallis, addito etiam psalmo *De profundis* cum consuetis orationibus.

De mentali oratione matutina.

§. 631. 6. Mentalis oratio matutina omni anni tempore hora quinta habeatur, similiter, et vespertina, et tempore vesperis, et in æstate matutinum noctis hora nona recitabitur: in hyeme vero hora octava, et post matu-

tinum communis flagellatio diebus assuetis, et conscientiæ discussio, et ordinaria refectio subsequuntur. Culpæ tamen in refectorio tantum dicantur, secunda, quarta, et sexta feria, vel aliis quando procurator generalis dictis feriis a refectorio abfuerit. Denique animi remissio vespertina habeatur omnibus diebus usque ad diem s. Lucæ Evangelistæ.

De officio B. M. virginis.

§. 632. 7. Semper divinum officium, nec non parvum beatæ Mariæ, quodcumque juxta regulas ordinarii recitandum est, dicatur. Oratio mentalis habeatur coram sanctissimo Sacramento in choro, vel in ecclesia januis clausis, quamvis adsint tantum duo religiosi.

De expositione sanctissimi Sacramenti.

§. 633. 8. Feria quinta majoris hebdomadæ, usque ad officium ferie sextæ, sanctissimum Sacramentum apte, et orate debito loco, ut moris est, reponatur, absque nimia tamen præventione, et ostentatione, et officia trium dierum a feria quinta inclusive sine cantu recitentur, et omnes ibi assistant, sicut assistere debent etiam officio missæ diei Nativitatis Domini, atque beatæ Mariæ virginis, et omnium sanctorum. Quod sacrum a procuratore generali, legitime non impedito, his diebus omnino celebrandum est, sed sine cantu.

De responsorio pro defunctis in missa.

§. 634. 9. Singulis feriis secundis, quilibet sacerdos dicti hospitii, finita missa, responsorium pro fidelibus defunctis in eadem cappella, in qua sacrum fecit recitabit. Et si tunc dies festus occurrat, sequenti de hoc faciet. Ad officia vero communia defunctorum, quæ ternaria dicuntur, religiosos dicti hospitii non obligamus, nec ad alia quæcumque suffragia pro fratribus alibi decedentibus: cum vero aliquis in ea domo animam egerit per novem dies reliqui sacerdotes, tam conventuales, quam hospites pro eo celebrare teneantur, et ultra hoc in diebus immediate sequentibus septuaginta sacrificia pro quolibet defuncto applicentur. Quorum pictantiæ conventus regalis curiæ persolvat pro sacrificiis a quolibet illius conventus sacerdote applicandis. Quod si major fuerit sacerdotum numerus in dicto conventu regalis curiæ, ea sacrificia, quæ ultra septuaginta dicta superfuerint pro ipso hospitii defuncto, statim ac de morte ejus constiterit applicentur: de cujus obitu absque ulla mora p. n. generalis, et prior conventus regalis curiæ certiores fiant, ut pro eo quam-

De iis, quæ ad chorum spectant.



primum suffragia offerantur. Et ut officium sepulture decentius fiat, votulentibus ultra charissimis in Christo patribus Italicæ congregationis ibi adesse, fratres nostri cum interventu aliquorum ex ipsis, hæc pietatis, et charitatis officia præstabunt. Similique modo, quando aliquis in conventibus urbis illius congregationis moriatur, funeri ejus procurator generalis cum socio suo, vel alii duo assistent, ut harum congregationum mutua fraternitas, hactenus servata in dies conservetur.

§. 635. 10. In refectorio semper silentium observetur, et quando quatuor ibi aderint, unus eorum lectionem communem legat. Si vero ob negotiorum, vel ægrotudinum impedimenta non fuerint nisi duo, vel tres, tunc per aliquod breve spatium lectio habeatur, et facto signo a præsidente, lector ad mensam sedebit. Porro mortificationes solitæ, tam ordinariæ, quam extraordinariæ nullatenus omittantur, maxime in adventu, et quadragesima.

§. 636. 11. Nullus extraneus ad refectorium ammittatur, nisi in aliquo raro casu, arbitrio procuratoris generalis; poterunt etiam admitti patres nostri discalceati Italicæ congregationis.

§. 637. 12. Arca communis trium clavium erit in dicto hospitio, sicut in aliis conventibus, cujus claves maneat apud procuratorem generalem, et duos clavarios a p. generali designatos. Deposita autem quarumcumque personarum, sive in pecuniis, sive in quibuslibet aliis rebus nullatenus admittantur, sub pœna jejunii in pane, et aqua per tres dies. Nemini poterit toto integro sexennio procurator generalis mutuo dare, nisi ex urgenti, ac gravissima causa, ac tam benefactoribus, aut aliis gravibus, aut notæ confidentiæ personis: dummodo mutuum quantitatem tertentorum argenteorum non excedat, et tunc de consensu clavariorum. Quod non est intelligendum de nostris Italicæ congregationis religiosis, quibus ultra quantitatem prædictam mutuare licebit.

§. 638. 13. Non poterit procurator generalis fabricam aliquam de novo erigere, aut erectam in toto, vel in parte mutare, vel alterare: neque etiam in emendis libris, aut ecclesiasticis paramentis ultra quantitatem quinquaginta scutorum Romanorum insumere, et hoc tantum semel ei licebit in triennio quocumque: quod si aliter facien-

dum sit, consulatur p. generalis, et de ejus expressa licentia fiat.

§. 639. 14. Ordinamus insuper, et strictè præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, et sub præcepto, ut nullo modo, nec ipse procurator generalis, nec alius ex religiosis dicti hospitii procurent beneficia ecclesiastica, dignitates, aut officia sibi, aut pro consanguineis, vel amicis, aut sibi commendatis, nec litem creare, aut creatam agere, sive religionis nostræ sint, sive non, exceptis iis, quæ a generali injuncta fuerint, vel ad quæ expressum assensum præbuerit. Teneatur etiam pater procurator quaslibet epistolas etiam ab ipso p. n. generali sibi missas definitorio generali manifestare, si contra ea, quæ in nostris constitutionibus religiosis prohibentur, aliquid procurent, vel attentent.

§. 640. 15. Volumus, ut duo tantum religiosi a domo egredi possint ad negotia ordinis gerenda, præter aliquem casum rarum, in quo omnes judicent fore necessarium pro aliquo gravi negotio, in quo est periculum in mora; duo poterunt egredi, si tamen quatuor semper domi maneat, et ad minus duo.

§. 641. 16. Statuimus præterea, ut unoquoque anno dicti nostri hospitii religiosi hoc modo visitentur. P. generalis mittet formale præceptum sub quo omnes teneantur dicere, quæ noverint esse correctione digna: defectus scilicet circa legem Dei, primitivam regulam, constitutiones, ac bonos mores in religione assuetos. Hoc præceptum obligabit, etiam ad secretum observandum, circa ea, quæ quis dicturus est, ita nimirum, ut nullus alteri aperiat aliquid, quo ille moveatur ad eadem dicendum: sed quod unusquisque animadverterit, ipse propria manu scribat, proprioque subscribat nomine, et epistolam claudat. Si vero aliquis donatus scribere nesciat per manum alterius fratris fideliter scribentis, dicat quæ noverit, et scribens sub dicto præcepto ad simile secretum tenebitur. Deinde convenientibus omnibus in suo capitulo, clausæ omnes epistolæ adnumerentur, et sub uno fasciculo tabulariorum, sive cursorum stationi tradantur, et in eodem fasciculo fidele totius anni ratiocinium veniet de acceptis, et expensis, tam ordinariis, quam extraordinariis, nec non de debitis contractis, et de residuis, tam pecuniæ, quam aliarum re-

De abstinentia ab dignitatibus, et officiis.

De egressibus ab hospitio ad negotia tractanda.

De mutua accusatione religiosorum.

De in-

De in-

De silentio in refectorio servando.

De exclusione extraneorum a refectorio.

De communi arca custodienda.

De novis operibus faciendis.

rum ad conventus provisionem spectantium. Quando vero novus procurator generalis ex Hispania missus fuerit, ipse pro visitatione facienda sui prædecessoris, et aliorum, secum literas commissionis portabit. Scrutinio expleto, si opus fuerit, in aliquo casu processum testibus conficere, illum formabit juxta juris dispositionem, usque ad definitivam exclusive, et ad definitivam generale judicandum remittet. Pro ordinariis autem culpis, et earum pœnis, aut correctione conventuale capitulum celebrabit, et eo anno procurator qui officio functus est, (missis epistolis visitationis a novo procuratore, ut dictum est) testimonium ratiociniorum poterit secum afferre.

De archivo, et ejus custodia.

§. 642. 17. Sit, in hospicio locus apte dispositus, clavibus, et seris sufficienter munitus, in quo omnia privilegia, indulta, Bullæ, instrumenta, sive scripturæ religionis tuto asserventur. Et de omnibus Bullis deinceps obtinendis duplex originale semper extrahatur, quorum alterum reponatur in archivio, alterum in Hispaniam mittatur, sitque in prædicto archivio repertorium ordine alphabetico dispositum, quo facile omnia inveniri queant.

De vinculis pro apostatis et aliis criminosis.

§. 643. 18. Tandem ordinamus, ut in secreto, et tuto loco carcer, vectibus munitus, necessariis vinculis præparatis, pro apostatis, et fugitivis rebellibus, et contumacibus deputetur. At vero si ipsi ultro comparuerint animo subiacendi se disciplinæ religiosæ, et prælatorum debitæ correctioni, recipiantur benevole, et si ægrotaverint cum charitate curentur. Qui sine mora in Hispaniam mittantur, et dum in urbe remanserint, non eis permittatur foras exire, nisi sacra loca visitandi, et ad stationes eundi causa, et tunc uno ex conventualibus associantur: cum vero inde mittuntur in literis dimissoriis pro itinere sibi tradendis, si procuratori conveniens visum fuerit, sub formali præcepto eis injungatur, ut via recta tendant ad superiores, id est ad patrem generalem, sive conventum sibi designatum, numquam vero consensus, ut in alios ordines ingrediantur præbebit.

## QUARTA PARS CONSTITUTIONUM

*De pœnis pro qualibet culpa infligendis.*

§. 644. 1. Cum vix fieri possit in communitatibus, quantumvis ad pietatem instructis, et optimis legibus gubernatis, ut aliqui a suæ professionis observantia aliquando non deficient, ideo sicut salutaribus prælatorum monitis, ita et debitis eorum objurgationibus, et pœnis (ubi opus sit) regulari disciplina tuenda est. Impunitas enim, teste Bernardo, incuriæ soboles, insolentiæ mater, impudiciæ radix, et transgressionum nutritrix esse solet. Ne ergo culpæ impunitæ maneant, nec pœnæ, vel nimia lænitate, vel acerbitate a justitiæ regulis declinent, aut charitatem lædant, oportet, et qualitates culparum distinguere, et pœnas culparum modo proportionatas stabilire. Quapropter quinque culparum genera distinguenda duximus, nempe: culpæ lævis, mediæ, gravis, gravioris, et gravissimæ, et singulis debitas, ut fas, est taxare pœnas.

De pœnis pro qualibet culpa infligendis.

### CAPUT PRIMUM

*De culpa lævi, et de pœna ei exhibenda.*

§. 645. 1. Lævis culpa est, si quis in choro legendo vel canendo erraverit, et non statim coram omnibus prostratus, terram fuerit osculatus. Si quis festinanter non venerit ad omnes communitatis actus. Qui in locis prohibitis silentium non observaverit. Si verba otiosa loquatur, et his similia. Et quia culpæ læves lævi pœna puniendæ sunt, pro his, ac similibus culpis in capitulo, vel refectorio accusatis, aut veniam petentibus, injungatur a presidente unus psalmus, aut aliqua ex ordinariis mortificationibus, ut fratrum osculari pedes, et similia.

De culpa lævi, et pœna ei exhibenda.

### CAPUT SECUNDUM

*De media culpa, et de pœna ei debita.*

§. 646. 1. Media culpa est, si quis in divinis officiis inordinate, aut minus decenter se gesserit. Si tempore silentii loquatur, aut vaniloquium in consuetudinem ducat: si in officio per tabulam deputato, aut in aliquo superioris mandato negligens fuerit. Si quis per monasterium, aut per hortos vagus incesserit. Si altaris, vel eccle-

De culpa media, et de pœna ei debita.

lae ornamenta, libros, aut aliquid utensilium negligenter tractaverit. Qui in his, et similibus culpabilis inventus fuerit unam recipiet disciplinam quando recitatur psalmus *De profundis*, vel psalmum aliquem genuflexus in refectorio dicat, aut humilibus officiis aliqua die addicatur, vel jejunium ei imponatur. Quod si culpa ratione alicujus circumstantiæ augeatur, panis, et aquæ jejunio, aut aliqua graviori pœna puniatur: et idem proportionabiliter servetur in omnibus aliis culpis, quæ quo graviore, eo acrioribus pœnis erunt mulctandæ.

## CAPUT TERTIUM

*De culpa gravi, et ejus pœna*

De culpa gravi, et ejus pœna.

§. 647. 1. Gravis culpa est, si quis in præsentia sæcularium immodeste cum aliquo contenderit. Si sine debitis circumstantiis juraverit. Qui indumenta vel aliquid aliud alteri concessum, sine licentia acceperit, vel ex officio communibus sibi applicaverit. Si quis silentium tempore prohibito, aut regulæ mandatum non observare in consuetudinem duxerit. Si in aliquibus verbis malitiosis, aut inordinatis deprehendatur. Si aliquod opprobrium alicui dixerit, aut scripserit. Si sermonem turpem protulerit, vel cum mulieribus inordinate, aut immodeste loqui inventus fuerit, unde mala suspicio oriri possit.

Idem ut supra.

§. 648. 2. Pro his, et similibus culpis delinquentes unam disciplinam in capitulo recipiant, et per unum diem in aqua, et pane jejunent, vel in cella arbitrio prælati per aliquos dies recludantur, acriorique aliqua objurcatione feriuntur. Fratres autem in pane, et aqua jejunantes quando pro culpis similis pœna eis imponitur, super nudam terram, et in præsentia communitatis panem, et aquam tantum (ut moris est) manducare debent.

Idem ut supra.

§. 549. 3. Ad culpam gravem etiam pertinet si quis aliquod peccatum mortale (quod absit) sine scandalo commiserit, aut qui jejunium Ecclesiæ, aut officium recitandum omiserit (dummodo hujusmodi peccato non sit aliqua pœna in constitutionibus assignata, vel alias peccatum gravius non appareat) sequenti pœna plectetur: jejunabit in pane, et aqua super nudam terram; flagellationem a præsidente in refectorio accipiet, ibidem extraordinariam mortificationem faciens; vel per

decem dies exercitia spiritualia subeat; aut per quindecim in suam cellam recludatur, quin inde nullatenus exeat, nisi ad sacrum faciendum, aut audiendum, et ad omnes communitatis actus, excepta recreatione. Ex quibus tribus pœnis unam, quæ magis congruere videatur, prior irremissibiliter applicabit. Si vero delictum sit gravius; prioris erit de præsentis remedio illi providere, et superiores ad quos spectat statim certiores facere, sub pœna suspensionis per unum mensem.

## CAPUT QUARTUM

*De culpa graviori*

## §. I.

§. 650. Gravior culpa est, si quis ebrius aliquando deprehendatur. Si quis ludos a jure prohibitos, aut quid simile exerceat; qui statim carcere per duos menses mancipetur, et voce, et loco per unum mensem privetur. Sed si absque scandalo id fiat, pœna gravioris culpæ per duodecim dies puniatur.

§. 651. 2. In primis graviori culpæ inter alia supplicia pœna carceris respondet. Quare præcipimus sub pœna suspensionis per unum mensem, ut in quolibet conventu sit locus carceri deputatus, undique munitus, et tutus, non tamen inhumanus, ita ut religionis salutem spiritualis, vel corporalis periclitetur; in quo sint instrumenta necessaria ad majorem securitatem, et pœnam delinquentium. Teneanturque visitatores suæ visitationis tempore, carcerem visitare, et omnino providere, ut hæc constitutio executioni mandetur.

§. 652. 3. Si quis ob aliquod grave crimen in carcerem mittatur; in primis ordinis habitu exuatur: hoc est caputio, et scapulari privetur, et cum aliqua tunica remaneat quousque a carcere liberetur, et si oportuerit corona etiam privetur.

§. 653. 4. Quotiescumque per negligentiam, aut malitiam custodis carceris, vel alterius fratris incarceratus fugerit, ejus loco ipse in carcerem mittatur, et ibi secundum culpæ gravitatem detineatur: si vero aliquis aliquod instrumentum incarceratis ad infringenda, vel solvenda vincula tradiderit, sive alio modo eorum fugam procuraverit (etiam re non secuta) per

Idem ut supra.

De culpa graviori.

Idem ut supra.

Idem ut supra.

Idem ut supra.

viginti dies pœnam carceris sustineat. Si vero reus effugerit, tamdiu in carcere permaneat, quamdiu delinquens fuisset permansurus. Carcerem tamen infangentibus supplicium carceris duplicetur.

Idem ut supra §. 654. Nullus fratrum sub pœna gravis culpæ per unum diem, sine superiorum consensu audeat incarceratos visitare, aut alloqui: curet tamen prælatus per se, vel per alium religiosum prudentem, et pium a se designatum alternis diebus oppressos carcere consolari, et ad patientiam commonere. Et ut fructum aliquem e suo labore, et conflictu percipiant, libri aliqui devoti, et spirituales eis conferantur.

Idem ut supra §. 655. 6. Graviori etiam culpæ alia pœna poterit applicari: nempe, ut dum quis fuerit de simili culpa convictus, in capitulo coram præside deandatus, condignam suis demeritis disciplinam accipiat, vel a præside solum, vel ab omnibus secundum culpæ gravitatem: qua accepta cellam vadat, et ab ea non exeat usque ad tempus prandii, et tunc ad refectorium accedens in terra super pavementum nudum pane, et aqua humiliter vescatur, nisi ei a priore aliquid aliud per misericordiam impendatur: finitoque prandio ad cellam iterum redeat, et nullus audeat illi se conjungere, vel loqui, neque ipse alteri, neque suo officio, vel ordine durante sua pœnitentia fungatur.

Idem ut supra §. 656. 7. Graviori culpæ alia etiam pœna respondet: nempe, ut choristæ corona priventur, et inter fratres laicos locum, et ordinem habeant. Laici vero et donati scapulari priventur. Hæ, et aliæ pœnæ similes a provinciali secundum modum, et qualitatem culpæ inferri debent.

### §. II.

#### *De inobedientibus et contumacibus.*

De inobedientibus, et contumacibus. §. 657. 1. Ad graviolem culpam reducitur qualibet transgressio exterior votorum cum scandalo, cui secundum qualitatem culpæ condigna pœna erit applicanda. Et in primis statuimus, quod quicumque formali præcepto superioris in ejus præsentia non obedierit, aut inobedientiam suam defenderit; ut contumax, et rebellis carcere tradatur. Et idem statuimus de illis, qui contra ordinis superiores se erexerint eorum officium usurpantes, seu impe-

dire conantes, et insuper hi voce, et loco, et officio inviolabiliter priventur.

### §. III.

#### *De incontinentibus.*

De incontinentibus. §. 658. 1. Lapsi in peccatum carnis, si convicti, confessi, aut violenter suspecti deprehendantur, per dimidium annum incarcerentur, et disciplinis, ac jeuniis, et abstinentiis ad arbitrium prælati juxta gravitatem delicti puniantur: et per unum annum voce, loco, et officio careant. Si vero peccatum fuerit extraneis notorio integro anno in carcere permaneant, et disciplinam conventualem in præsentia eorum, coram quibus delictum fuerit commissum, accipiant, et insuper tribus annis voce, et loco priventur. Quod si in idem relabantur crimen, de eoque fuerint convicti, prædicta pœna duplicetur. Et quia in hujusmodi peccatis raro plena probatio adhiberi potest, præcipimus prælatis, sive præsidentibus, ut statim ac aliquem judicaverint de mala familiaritate sufficienter suspectum, illius salutis consulentes, denegent illi, quæ aliis cæteris religiosis concedi solent, ut ordines suscipere, studere, legere, prædicare, confessiones audire, scribere, et e conventu exire. Oceramusque provincialium conscientias, ut in alium conventum ejusmodi suspectus transferant: quos prælati, ut ab illa familiaritate desistant, serio admonebunt.

### §. IV.

#### *De percussoribus.*

De percussoribus. §. 659. 1. Si quis violentas manus alteri injecerit, aut animo irato minatus fuerit, vel lapidem, sive baculum ad percutiendum levaverit, graviore pœna arbitrio provincialis feriatur. Si autem contra aliquem prælatorum prædicta instrumenta levaverit, considerata qualitate prælatorum, in carcere statim recludatur, et aliis pœnis afficiatur. Qui malitiose alium percusserit, ipso facto manet excommunicatus, et carceri per unum annum tradatur. Si vero enormiter, aut atrociter læserit, ad definitorium generale, tamquam de gravissima culpa iudicium spectabit.

## §. V.

*De diffamantibus.*

De diffamantibus.

§. 660. 1. Qui re notabili aliquem fratrem infamaverit, aut injuriis aliisque opprobriis, sive in absentia, sive in presentia affecerit, secundum delicti mensuram, erit et punitiois modus; et ante omnia illius famam restituat.

De falsa testimonio.

§. 661. 2. Idem si quis falsum testimonium contra alium in re gravi proferat, et convictus, vel confessus fuerit, indutus aliquo penitentiae sacco, linguis ante et retro panni rubri aut albi consutis in terra quot diebus superiori videbitur in signum suae detestabilis linguae comedit, et insuper incarceretur: et deinceps ad ferendum testimonium nullatenus admittatur, vel si juxta delicti gravitatem oportuerit, arbitrio praelati iis penis subiaceat, quas per summam injuriam insonti procuravit.

Poena contra diffamantes.

§. 662. 3. Statuimus, ut quicumque aliquem fratrem sive totum ordinem apud extraneum diffamaverit per tres annos voce activa, et passiva privetur: et tamquam religionis abortivus filius deinceps ad omnia ejus officia inhabilis maneat; praedictoque sacco induatur.

## §. VI.

*De apostatis, et fugitivis.*

De apostatis, et fugitivis.

§. 663. 1. Ad coercendam apostatarum insolentiam; declaramus in nostro ordine quoad poenas infligendas, eos censendos apostatas, qui contra superiorum obedientiam, vel sine eorum etiam licentia, cum habitu, vel sine habitu: cum intentione ad monasterium redeundi, sive non, quocumque praetextu extra suos conventus vagantur. Volumusque ut ipso facto (nisi infra octavam diem redierint) maneat excommunicati. Eadem etiam censura, et poena statim feriantur, extra monasterium nocte egredientes, et ut apostatae puniantur. Statuimus, ut priores, aut vicarii transactis octo diebus a die recessus apostatae, congregato capitulo conventuali cum apostatam, et excommunicatum publice denuntient, et ut caeteri timorem habeant, et Deum pro ejus spirituali salute deprecantur.

De carceratione apostatarum.

§. 664. 2. Habeant praeterea non solum priores, sed etiam alii religiosi in casu necessitatis auctoritatem apostatas cujuscumque provinciae apprehendendi, et in hac parte praelatorum

conscientias oneramus, ut eos omni cura in carcere recludere studeant, sub poena suspensionis ab officio negligentibus inferenda. Si vero de aliquo constiterit ad superiores ordinis confugere, in capitulo ut excommunicatus non publicetur, voce tamen, et loco duobus mensibus careat, et quindecim diebus in carcere detineatur, vel si opus fuerit, juxta culpae mensuram poena, arbitrio praelati, augeatur vel minuat, et simul si alia crimina in via vel alibi commiserit, condignis ea diluat poenis. Quare praecipimus, ut statim ac quis e conventu sine licentia exierit, prior certiore faciat p. generalem, quam provincialem: diem exitus et occasio nem recessus nuntians eis, ut ipsi judicent, an in via alio diverterit, et hoc non tantum cum ad superiores creditur tendere, sed in omni eventu, quo a domo quis abest absque licentia. Quod si recto itinere ad superiores non pervenerit, sit etiam excommunicatus.

De punitione apostatarum.

§. 665. 3. Apostatae sive fugitivi, pro prima vice juxta qualitatem delicti puniantur, pro secunda vero ordinis antiquitatem amittant, et per dimidium annum incarcerentur, ita ut a novo receptionis die antiquitas computetur. Pro tertia vice eadem poena plectatur, ut transacto anno sui regressus, et non antea incipiat antiquitatem obtinere, quasi tunc professionem denuo emitteret. Et tam in hac, quam in prima, secunda, et tertia fuga a priore possint absolvi. Quod si excommunicati celebraverint, tunc severius corrigantur. Et qui vere fuerit apostata, passiva voce sex annis careat, nec unquam poterit esse in ordine praelatus, quin super hoc valeat ab alio quam a capitulo generali dispensare. Declaramus autem religionem non teneri ad expensas fugitivorum, si quas fecerint, nisi a tempore quo ad praelatorum obedientiam redierint: tuncque eas sua respectiva provincia solvet.

Idem ut supra

§. 666. 4. Similiter declaramus, fratres, et moniales nostri ordinis non posse ad quemcumque alium transire sine nota apostasiae, infamiae perpetuae, et excommunicationis latae sententiae poena, secundum tenorem indultorum apostolicorum: scilicet Gregorii XIII. in Bulla divisionis nostrae congregationis sub datum Romae apud sanctum Petrum die 22. junii 1580. pontificatus sui anno nono, et Sixti V. sub datum Romae apud sanctum Petrum die 27. junii 1587. pontificatus sui anno tertio, et sanctissimi domini Ro-

stri Pauli V. sub datum Romæ apud sanctum Petrum die 3. aprilis 1610. pontificatus sui anno quinto cujus verba sunt hæc » Sed nullus eorundem fratrum Discalceatorum post præmissam ab eo prædicto ordine professionem regularem, absque speciali pro tempore existentis Romani pontificis licentia de præsentibus, eorumque data, expressam, individuum, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, urgenti causa prius a prædictis cardinalibus super regularium reformatione, et visitatione deputatis, diligenter examinata, et approbata ad alium quemcumque ordinem mendicantium, et non mendicantium, monachalium, seu discalceatorum, aut quarumcumque religionum erectarum, vel erigendarum, etiam emissionis quartivoti, seu perfectioris, et humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris regulæ, et observantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumvis justa, et probabili, et legitima causa: sub apostasiæ, et infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto per contraventores incurrenda, se transferre audeat, seu præsumat (excepto dumtaxat ordine fratrum Carthusianorum, quatenus ad illam transeundi licentiam a suis superioribus petierint, et obtinuerint) et quicumque secus fecerit, cum primum desuper monitus fuerit, nulla mora, aut excusatione, seu forensi contentione, vel appellatione interpositis ad propriam suam congregationem redire, ac superiorum correctioni se submittere teneatur. Nec prælati dietarum congregationum, ac aliorum ordinum, et religiosorum hujusmodi ipsos sic translatos, seu fugitivos, et apostatas retinere, sed eos etiam si novam professionem regularem emisserint, sub privationis suorum officiorum, et munerum, ac similis excommunicationis pœnis suis superioribus, vel ab eis deputatis id requirantibus, et petentibus, statim absque iudicis ministerio tradere, et consignare debeant etc. ». Insuper ejusdem sanctissimi domini nostri Pauli V. de prædictis literis specialem, et individuum mentionem facientis, atque in eis etiam Camaldulensium ordinem comprehensum fore declarantis iis verbis videlicet: » Prædictum Camaldulensium ordinem comprehensum vidisse, et esse, ac compre-

hendi auctoritate apostolica prædicta, tenore præsentium decernimus, et declaramus. Et nihilominus auctoritate, et tenore similibus statuimus, et ordinamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, ut nullus ex dictis fratribus Discalceatis ad prædictum ordinem Camaldulensium, sub pœnis in prædictis literis contentis nisi ex causa, ut supra examinata, ac approbata, ac de Romani pontificis pro tempore existentis licentia, transire, recipi, et admitti valeat etc. » sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die 16. februarii 1616. pontificatus sui anno undecimo. Ac denique sanctissimus dominus noster Gregorius XV. præmissam Pauli V. prohibitionem, fratres conversos, seu donatos comprehendere vis verbis decrevit, et declaravit » Supradictos conversos, seu donatos in prædictis apostolicis indultis comprehensos fuisse, et esse, neque illis antea licuisse, nec deinceps licere transitum ad quamcumque aliam religionem facere absque prædicta speciali Sedis apostolicæ licentia, tenore præsentium decernimus et declaramus » sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem pontificatus sui anno primo.

## CAPUT QUINTUM

*De gravissima culpa, et de pœna ei exhibenda.*

§. 667. 1. Gravissima culpa tantum a definitorio generali debet judicari. Ad gravissimam vero culpam ea delicta reducuntur, quæ in jure atrociora censentur, ut si quis graviter alium percusserit, aut ea crimina propter quæ de jure communi delinquentes ad mortem damnantur, vel in perpetuum ad triremes relegantur.

§. 668. 2. Ad gravissimam culpam, etiam pertinet si quis libellum infamatorium protulerit, si scandalum gravissimum sæcularibus præbuerit. Si superiorum sigillum, aut subscriptionem adulteraverit, vel eorum officium in re gravi usurpaverit: si postquam semel, et iterum propter peccatum incontinentiæ correptus, aut punitus est, tertia vice labatur (idem sit de tertia apostasia) aut alia commiserit, pro quibus ab ordine expelli debeat.

§. 669. 3. Pro his similibus, vel pœna expulsionis, vel aliis gravissimis secundum delicti gravitatem cæcendi

De gravissima culpa, et de pœna ei exhibenda.

Idem ut supra

Idem ut supra

sunt delinquentes. Quod si cum notabili sæcularium scàndalo prædicta scelera commiserint prælatus convocet honorabiliores ex his qui passi sunt scàndalum, et publice coram illis, et toto conventu, genuflexo reo, facta hac, vel alia brevi monitione, dicat in hoc differre laudabiles religiones et reformatas a jam dilapsis, non quod nullus peccans in laudabilibus inveniatur (cum in cælo, et apostolorum collegio peccatores minime defuerint) sed quod nullus peccare sinatur, et incorrigibiles, et defectuosi ab eis reiciantur: et statim omnes conventuales suo ordine delinquentem flagellis afficiant: et tunc sacro virginis habitu exuatur, si expellendus est, vel iterum in carcere recludatur.

### CAPUT SEXTUM

#### De incorrigibilibus, et eorum expulsionem.

De incorrigibilibus.

§. 670. 1. Incorrigibilis ille quidem censendus est, qui culpas graves, non veretur committere, et tamen pœnas pertinaci animo ferre recusat, vel ille de cujus correctione non est aliqua probabilis spes propter obstinationem, seu inveteratam mali consuetudinem, vel delicti atrocitatem, vel alias circumstantias personæ. Præterea ille dicitur incorrigibilis, qui ter convictus, et punitus de aliquibus criminibus gravibus, etiam distinctis, nunquam fuit emendatus. Declaramus similiter, quod si aliquis præter peccatum mortale sit per legitimam sententiam damnatus ad pœnam gravioris culpæ, et ipse recuset eam ferre, habeatur pro incorrigibili.

De expulsionem incorrigibilium

§. 671. 2. Incorrigibiles omnino expellendi sunt, postquam enim de eorum emendatione, et profectu nulla est probabilis spes, ad apostoli sententiam confugiendum est: *Auferite malum ex vobis*: auferatur ergo malus, ne malos generet, et ovis morbida abiiciatur, et membrum putridum præscindatur, ne sana inde inficiantur, aut corrumpantur. Oportet autem in re tam gravi maturo consilio p. generalis, et definitorum omnia fieri.

De apostatis pro quarta vice.

§. 672. 3. Statuimus, ut qui quarta vice apostataverit, vel fugerit, etiam si propter alias priores fuerit punitus (et idem de eo qui in apostasia vel fuga ultra annum perseveraverit) expelli possit: et qui tertia vice peccatum incontinentiæ commiserit; et idem iudicamus de eo qui hoc peccatum se-

mel cum notabili, et publico scàndalo sæculariam perpetraverit, quia huiusmodi publicatio, et scàndalum signa sunt aliorum similium occultorum peccatorum, et vehementer præsumitur de ejus incorrigibilitate. Quare expelli potest juxta indultum felicitis recordationis Pii V. ut sic satisfiat reipublicæ scàndalo, et detrimento nostræ religionis.

§. 673. 4. Si aliquis in peccatum indicibile (quod Deus avertat) lapsus fuerit propter huiusmodi criminis gravitatem, et fœditatem, et quia maxime nocivum est communitati, de eoque raro emendatio præsumitur, decernimus, ut qui de hoc peccato convictus, vel confessus fuerit ab ordine expellatur; quæ pœna non solum delinquentibus, sed etiam vere et proprie egredientibus idem delictum applicetur. Utrumque enim juxta regias leges æquale putatur. Et volumus, ut in hoc crimine singulares testes admittantur, dummodo sint ad minus tres, et etiam si sint complices. Si vero aliquis vehementer fuerit suspectus carceri perpetuo tradatur, nisi alias per definitorium generale, cum eo benigne fuerit dispensatum. Denique quoties quis aliquid delictum gravius, et atrocius perpetraverit, in definitorium arbitrio sit iudicare, an ab ordine expelli debet.

De pœna peccati indicibilis.

§. 674. 5. Decernimus ut in expulsionem laicorum si solemniter fuerint professi idem servetur, ac in aliis religiosis. Si vero tantum simplicem professionem emisierint, si peccatum aliquod notorium contra unum ex tribus votis commiserint, vel aliquod notabile scàndalum sæcularibus, aut religiosis præbuerint, vel sua occasione, suo ministerio inutiles reddantur; a provinciali simul cum consensu prioris conventus, et trium clavariorum expellantur, servato ordine juris.

De expulsionem laicorum.

§. 675. 6. Ante incorrigibilium expulsionem, primum tribus mensibus incarcerationentur, et aliis pœnis secundum suorum scelerum gravitatem condignis afficiantur, nisi hoc reclusionis tempus definitorium diminuendum judicaverit, et omnino in his casibus juridice formetur processus, legitimeque conclusa causa adversus eos expulsionis sententia proferatur, et publice legatur coram conventu, et disciplina conventuali castigati habitu exuantur.

De pœnis præmittendis expulsionem.

§. 676. 7. Et ne impunitatis, et expulsionis spe, rebelles peccare contingat: si aliquis sententiam a superioribus latam acceptare recuset, nolens

De nolentibus acceptare sententias superiorum.

se eorum correctioni subicere, contra eum expulsionis sententia proferatur; prius tamen quam executioni mandetur pro inobedientiæ, et contumaciæ delicto per dimidium annum in carcere retrudatur, ubi abstinentiis, disciplinis, et aliis pœnis quousque ad se redeat affligatur. Si vero intra prædicti temporis spatium fuerit emendatus, cessante expulsionis pœna, e carcere quando prælato visum fuerit extrahatur. Quod si pertinaciter perseveraverit transacto ad minus dimidio anno, et non antea ab ordine expelli possit juxta decreta sacre congregationis Concilii ab Urbano VIII. anno 1624 approbata, atque decretum Innocentii XII.

De testimonio  
expulsionis.

§. 677. 8. Literæ dimissorie expulsiis nunquam concedantur, sed tantum testimonium authenticum sue expulsionis, quo constet factam esse postquam fuerunt per dimidium annum in jejuniis, et pœnitentiæ in carceribus probati. Et insuper in eo pœna a religione eis specialiter imposita, et ab illo regno, provincia, aut oppido ubi deliquerunt exilio mulctati sint, exprimat. Et semel a religione expulsi, nullatenus, nisi a capitulo generali, et concurrentibus duabus ex tribus suffragiorum partibus, admittantur.

De pœnitentiâ  
incurribilium

§. 678. 9. Cœterum, ut in posterum sententia expulsionis proferatur, et executioni mandetur, incorrigibiles censendi non sunt, etiam si omnia prædicta concurrant, quousque dimidii anni spatio juxta decretum Innocentii XII. in jejuniis et pœnitentiis probati in carceribus non resipuerint, sed animo obdurato in sua pertinacia perseveraverint.

De appellatio-  
nibus.

§. 679. 10. In admittendis appellationibus de pœnis a prælatis, tam paternaliter, quam judiciali sententia juxta constitutiones impositis, servetur omnino quicquid de hoc in concilio Tridentino, et aliis canonicis dispositionibus invenitur decretum.

## A P P E N D I X

### AD PARAGRAPNUM PRIMUM

#### *De ordine, et distinctione jurisdictionum.*

De ordine, et  
distinctione  
jurisdictionum

§. 680. 1. Statuimus ut prior sit *judex ordinarius*, ad quem prima spectat cognitio de omnibus, ad disciplinam regularem sui conventus pertinentibus, et ad alios superiores a jure

communi, aut municipali non reservatis. Potest paternaliter cognoscere usque ad culpam gravem inclusive, et si opus fuerit, judicialiter procedere, et sententiam definitivam de illa ferre ex tertia parte nostrarum constitutionum cap. 15. n. 2.

§. 681. 2. De prioris sententia adest recursus ad patrem provincialem, et hinc ad patrem nostrum generalem. Idem ut supra

§. 682. 3. Prior in casibus necessitatis, potest, et debet de remedio prompto providere in causis ad superiores reservatis, et summarium si opus fuerit, de officio formare, de quibus opportuno tempore certiore reddet superiorem. Idem ut supra

§. 683. 4. Provincialis cognoscere potest, et judicare in omnibus, quæ ad provinciam suam regimen spectant, et superioribus suis non sint per constitutiones reservata circa delicta, et pœnas ad eum pertinet in prima instantia de culpa graviore judicare, et per appellationem de omnibus sententiis a prioribus latis. De judicio provincialis adest recursus ad patrem nostrum generalem in omnibus causis tam civilibus, quam criminalibus. De judicio p. generatis, nunquam valet ad definitorium generale appellatio, sed tantum ad capitulum generale. Idem ut supra

§. 684. 5. Ad definitorium generale spectat cognoscere, et judicare privative de omnibus quæ in cap. 5. §. 2. tertiæ partis nostrarum constitutionum commissa sunt, et super delicta, et pœnas judicare in prima instantia de culpa gravissima, et de depositione prælatorum superiorum, nec non definitorum provincie de cujus sententia nulla superest intra ordinem appellatio, nisi ad capitulum generale. Nunquam tamen in civilibus, aut criminalibus a sententiis seu decretis datis a provincialibus, vel prioribus ad definitorium generale interponenda est appellatio; nam in omnibus præterea, quæ definitorio generali expresse commissa sunt, et de quibus istud in prima instantia cognoscit, appellatio interponenda est ad patrem generalem in quo sistit et terminatur appellatio, ab eo interponatur ad capitulum generale. In causis autem, quarum cognitio in prima instantia ad definitorium generale spectat debet istud in locum ubi reus existit commissarium mittere, qui summarium efficiat, testimonium depositiones accipiat, rei confessionem, et defensiones audiat, cæteraque persolvat usque ad definitivam exclusive. Idem ut supra



Idem ut supra

§. 685. 6. Totus ergo ordo appellationum sub his clauditur terminis: a prioro ad provincialem, a provinciali ad patrem generalem, et a p. generali non interponitur appellatio nisi ad capitulum generale. Declaramus autem, quod si reus de sententia a p. generali, vel a definitorio generali lata, velit appellationem interponere, et in spectando tempus capituli generalis, ad quod juxta ordinem statutum interponenda foret, molestiam corporalem carceris, aut hujusmodi alteram corporis afflictivam patiatur, poterit jure suo uti, et extra ordinem causam mittere, quoties in religione competens appellationis tribunal non est expeditum.

### CAPUT SEPTIMUM

#### *De aliquibus declarationibus in iudiciis poenis servandis.*

De aliquibus declarationibus in poenis servandis.

§. 686. 1. In primis declaramus quod cum in nostris constitutionibus poena privationis ipso facto imponitur, minime intelligendum sit ante iudicis sententiam; et cum dicitur quis privari voce, tam activa, quam passiva intelligatur: voce vero privatus in capitulo post non sacerdotes suas culpas confiteatur, et statim recedat a capitulo. Privatus loco, in ultimo intra suum gradum collocetur: verbi gratia si sit sacerdos in ultima sacerdotum sede, vel si praelato visum fuerit in alia inferiori.

Idem ut supra

§. 687. 2. Circa has etiam poenas in communi, decernimus, ut fratribus assuetis laevi culpa, poena laevis mutetur in mediam, et media in gravem, et sic de singulis, ita ut semper crescentibus culpis augeatur et poena, donec emendentur, aut si opus fuerit expellantur. E contra vero, cum poenarum harum constitutionum potissimum ad fratrum emendationem, et correctionem dirigantur, qui poenitentiam sibi inunctam humiliter adimpleverit, et emendationis indicia dederit, a superioribus, cognita veritate, pars poenae infra dimidiam totius poenae, vel poenarum cumuli, et non amplius, et hoc quando actu jam eam adimplet, relaxari poterit secundum virtutis signa ab eo exhibita: teneaturque inferior praelatus superiori a quo est posita poena fidem facere de adimplerione, executioneque earum poenarum, quae ab eo delinquentibus applicantur.

Idem ut supra

§. 688. 3. In casibus in quibus a nostris constitutionibus non est aliqua

taxata poena, secundum qualitatem, et circumstantias delicti a superioribus suo arbitrio, poenae applicentur servata tamen mensura, et proportione cum poenis in his constitutionibus taxatis.

§. 689. 4. In omnibus poenis illud etiam observetur, ut inspectis personis, delictis, et aliis circumstantiis poenae vel augeantur, vel diminuuntur.

§. 690. 5. Cum in constitutionibus officii et vocis privatio imponitur, si quis officium, vel vocem non habuerit, aequalis in aliis ei poenitentia injungatur in quantum fieri possit: et idem fiat in similibus casibus. Suspensi vero ab officiis in suis conventibus, tempore suspensionis regulariter debent permanere.

§. 591. 6. Cum in nostris constitutionibus, simul tam praelato, quam subdito transgredientibus aliqua imponitur poena, id nullatenus intelligendum de subditis, qui expresso praelatorum mandato id fecerint.

§. 692. Haec sunt statuta, quae delegati apostolici infra subscribentes pro hujus congregationis bono, ac pace prodesse existimarunt. Utinam cedant ad majorem omnipotentis Dei gloriam, ad beatam semperque Virginis Mariae de monte Carmelo, ejusque sanctissimi sponsi honorem, ad sanctorum parentum nostrorum Eliae, Elisei, Theresiae, Joannis a Cruce, omniumque sanctorum laudem sempiternam. Matriti in hoc s. Ermenegildi coenobio kalendis augusti 1785.

§. 693. Cum autem dicti Petrus de Matre Dei, et Paulus a Conceptione definitorii generalis nomine, ac de mandato sui ordinis ac congregationis praedictorum, praesertim constitutiones, ut firmiter subsistant, ac serventur exactius apostolicae confirmationis munimine roborari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportuna providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 694. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, illorumque, ac fratrum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, cujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; praesertim constitutiones, omniaque in eis contenta auctoritate apostolica te-

Idem ut supra

Idem ut supra

Idem ut supra

Conclusio.

Preces porrectae pro confirmatione constitutionum.

Tenor confirmationis apostolicae.

nore presentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet interveniri, seu intervenisse dici, vel censi possit, vel poterit in futurum supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 695. Decernentes has presentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 696. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anno piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo, sexto, pontificatus Nostri anno decimo, secundo.

DXCII.

Dat. Romæ  
31. martii  
1786  
anno XII.

Concessio indulgentiæ assequendæ ab eis, qui visitaverint ecclesias fratrum ordinis sancti Francisci Cappuccinorum in provinciis Galliarum, et Hispaniarum, quo tempore erit expositio sacratissimi corporis Christi.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus  
præsentes literas inspecturis

Salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, qui orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem nisi noctis tempore interpolatarum de licentia ordinariorum respective locorum, in ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum in provinciis, tum Galliarum, tum Hispaniarum existentibus semel in anno tamen etiam respective institundæ per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Tenor concessionis.

§. 2. Volumus autem, ut si alias Christifidelibus in quocumque alio anni die præmissa in aliqua ex dictis ecclesiis peragenda aliqua alia indulgentia similis perpetuo, vel ad tempus nondum elapsam duratura concessa fuerit, illa revocata sit; prout per præsentis apostolica auctoritate revocamus; utque si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint.

Declaratio specialis.

§. 3. Insuper volumus, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides ha-

Fides habenda transumptis.